Veritas ſecundum Pietatem

DE

LUSU ALEÆ.

à Clariſſimo Theologo

GULIELMO AMESIO,

Lib. 2. Medullæ cap. 11. ſolidè defenſa

Et nunc ab impugnationibus

THOMÆ GATTAKERI

vindicata.

Autore LEONARDO à RYSSEN,

Eccleſiaſte Heuſdano.



BIBLIOTECA NAZIONALE

ULTRAJECTI,

Ex Officina JOANNIS à WAESBERGE,

Anno cIↄ Iↄ c LX.

Venerando Celeberrimoque viro

D. GISBERTO VOETIO,

S. S. Th. Doctori, ejuſdemque facultatis in Academia Ultrajectina Profeſſori eximio; jam ferme quinquaginta annos in Eccleſia Chriſti Miniſtro fideliſſimo, vigilantiſſimo,

LEONARDUS à RYSSEN S.

CUM primum mihi Gatakeri tractatulum de ſorte legendum traderes, venerande Vir, neque te, neque quemquam, operæ pretium relaturum exiſtimabam, bellum qui illi viro indiceret; ut hunc ejus libellum contundendum arriperet. Nullas in eo ſentiebam rationum vires: non reperiebatur argumentorum pondus, non numerus, imo ne ſpecies quidem. Reple-

ta erant omnes pagellæ levibus exce-ptiunculis, & veluti leoninis tergi-verſationibus ſpecie audacibus, reipſa timidis. Nulli ante ipſum ſtabant Patres, nulli cum illo procedebant Theologi Moderni; neque verebar ne eum ſequerentur ſeri nepotes. Pii dictis, factis, & ſcriptis, illum da-mnabant, impiorum conſcientia vera eum prædicare exoptaret, metuit ta-men ne diſpar ſit ſupremi Iudicis ju-dicium. Nunquam ego inaudieram (quantumvis patria noſtra ſit laſci-vorum ingeniorum fertilis) quen-quam eſſe Theologum, qui luſorias i-ſtas quibus de interpoſitis nummis di-micatur, ſortitiones, vel defenderit, vel approbarit, vel non improbarit. Non equidem mihi perſuadebam im-mediatam omnes in quavis ſorte pro-videntiam agnoſcere. Id tamen vi-debam haud quidquam obſtare, quo-

mi-

minus illi exitiales iſtos ludos increpa-rent, & qua poſſent vi explode-rent atque eliminarent. Hunc tuum, cum celeberrimis noſtris Theologis, in hac cauſa ſcopum fuiſſe credebam, ut omnis impietas, omnis profanitas, omnis temporis abuſus, omnis bono-rum dilapidatio, omnis denique rixa & cædes, è Republica pariter & Eccle-ſia evellerentur, & expellerentur. Ad id ipſum omnes Domini noſtri ſervos laborare opinabar. Quid ergo inve-niri poterat quod mali à Gatakero metuerem? Exemplarium iſtius li-belli in patria noſtra nulla omnino e-rat copia, quanquam nec inopia. Ne-mo legere illa poterat, niſi à decimo forte amico uſui ſuo acciperet. Nunc vero verſæ vices ſunt. Recudi libel-lum eum curavit neſcio quis: ſive ut mortui in Domino Ameſii famam rode-ret, ſive ut tibi vivo ægre faceret. Non

enim ab animo meo impetrare poſſum, ut credam, editorem amore vexitatis pietatiſque coactum, ut hunc Gatakeri fœtum denuo in lucem traheret. Certe ſi hic liber pietati, & Eccleſiæ ædificationi non obeſt, ſaltem non prodeſt. Quum igitur me notas, olim in Gatakerum effuſas, inquirere voluiſti; non potui non & honori magni Ameſii, & amori tuo tantum dare, ut rem præſenti animo, ut poſſem, diſſecarem, & diſtincte examinarem. Deprehendi autem adeo imbecillem eſſe Gatakeri militiam, ut eodem die finiri bellum poſſet, quo inchoatum erat. Adeo ut mihi non niſi dieculæ ſpatium poſtularem, uti ille fere de tuis loquitur, ad vindicias Ameſio parandas, modo mentem tarda manus ſequi poſſet. Iam vero ut mihi minus moleſta foret materia, hiſtoriolas alicubi inſerui; & quoties viſum

eſſet

eſſet ad alios iter quoque deflexi. Ea autem quæ in te, Celeberrime vir, Autor ejecit, ideo non attigi; quia te ipſe levi opera multo melius vindicare poteras, quam ego omnibus valerem viribus. Non idcirco autem hæc ad te mitto, ut ea, qualiacunque etiam ſint, in lucem extrudas: ſed ut obiter ſaltem percurrere digneris. Si tibi luce non indigna videantur; Tu paſſerculis & columbulis noſtris inter aquilas veſtras dabis pennas, ſi tamen & ſibi, & tibi placebunt: ſi tantum ſibi, continendos cavea nidove curabis. *Plinius Epiſt. lib.* IX. *Ep.* 25. *pag.* 253. *Imo tua ſunt, tui juris ea facio. Si ita viſum fuerit, patior ut ſempiternis obruantur tenebris. Didici ego à te, vir ſumme, noctesque dieſque in acie ſtare; &, ſi vel aliam mercedem non referam, continuo labore pro pia veritate, &*

vera

verâ pietate vires ipſe exercere meas. Sic te praeuntem ſæpe miratus ſum; ſic ſequar, dum ſpiritus hos reget artus. *Vivimus hic in militanti Eccleſia, triumphantem exſpectamus. Hoſtes tibi nunquam defuere in omni vita; credo fore ut nec mihi unquam defuturi ſint. Patiare ergo ut juvenis & ſe, & te ſenem hortetur;* circumcingamus lumbos veritate, induamus thoracem juſtitiæ, & certemus certamen Domini, *tu i præ, ſequar. Et beatus erit ſervus, quem Dominus in tali opere occupatum deprehenderit. Vale vir magne; Deus in hac ſua militia & vires tibi, & animum, quam diutiſſime conſervet & augeat, teque tandem æternum beet.*

Heuſdæ, è Muſæo
meo III. die
Octob. clↄ Iↄ clix.

CAP. I.

De Natura Sortis.

DE Sorte cum Gatakero diſputaturus, de ejus *natura* pauca præmittere animus eſt. Natura haud ulla ex parte melius, quam ex materia, & forma cognoſcitur.

Res hujus mundi omnes vel in genere phyſico, vel in morali, conſiderari poſſunt. *Phyſica* hic non ſub quacunque forma, ſed ſub *cauſæ & effecti*, conſiderabimus. Atque ita ſe tres rerum differentiæ offerunt. Nam 1. cauſæ quædam ad ſpecialia effecta ita per formam ſuam determinatæ ſunt, ut alia producere non poſſint; quæ *neceſſariæ* vocantur. 2. Quædam alio modo agere poſſunt, agunt tamen hoc modo, vel ſponte, vel conſilio, vel ſpe, vel metu, vel electione. Hæ cauſæ *liberæ* vel *indifferentes* vocantur. 3. Quædam vero nullâ intentione, nulloque conſilio agunt; *effecta* vero præter intentionem, aut ſpem cauſarum prodeunt. Hæc proprie *contingentia* & *caſualia* vocantur. Atque iſta diſtinctio maxime *Gatakero*

 pla-

placet; *de natura & uſu ſortis* cap 11. pag. 13. Idque juxta illud Auguſtini; *eſt cauſa fortuita, eſt naturalis, eſt voluntaria,* de civ. Dei l. v. c. x.

Tali in caſu contingens cum caſuali confunditur. Ita Zanchius; *quanquam reſpectu noſtri, qui quid conſtitutum à Deo ſit tantiſper ignoramus, dum res videmus peractas, infinita eveniunt contingentia, caſu, fortuna.* de nat. Dei l. v. c. 1. pag. 454. Et libero opponitur; *Effectus qui in hoc mundo fiunt, aut neceſſarii ſunt, aut contingentes, aut liberi.* Becanus Theol. Schol. de Attrib. div. c. xvii. qu. viii. pag. 76. Caſum tamen hic à contingentia diſtinguit Ameſius. Nam contingens aliquando opponitur cauſæ neceſſariæ, ejuſque effecto: & tum contingens etiam vocatur actio, & effectum cauſæ ex propoſito tale quid operantis. Uti me jam ſcribere contingens eſt. Aliquando vero contingens opponitur cauſæ ex propoſito, aut quaſi, agenti; & tum contingens caſum, & inopinatum iſtum eventum notat. *Quoties aliquid cujuſpiam rei gratia geritur, aliudque, quibuſdam de cauſis, quam quod intendebatur obtingit, caſus vocatur.* Boeth. de Conſol. phil. l. v proſa 1. pag. 212. Sed hæc de nomine lis foret.

Contingentia diſtinguit Ameſius, quod *alia ſæpe contingant, alia raro, alia in u-*

tramque partem æqualiter ſeſe habeant. Ex his Materia ſortis eſt contingens ad utramque partem æqualiter ſeſe habens. Quod Gatakero caſuale eſt. Nam cauſa per naturam determinata, ſemper, niſi majori vi impediatur, agit eodem modo; & omne dubium, qualiſcunque etiam naturæ foret, ſemper decideret eodem modo. Et hinc eſt quod ſors in cauſa naturali conſtitui non poſſit. Nemo ſanus ſtatuere poſſet, v. g. ſi lapis feratur ſurſum, tum Titius conſulerit; ſin vero cadat deorſum, tum Mævius. Quoniam ita neceſſe foret, ut ſpe ſuâ excideret Titius.

Uti cauſa *naturalis*, qua talis, ſors, aut controverſiæ quæ ſorti ſubjicitur deciſor fieri non poteſt, ita nec *libera*. Nam *libera*, in cauſa dubia, eum damnaret cui minus faveret, eum abſolveret cui bene vellet. Relinquitur ergo ut materia ſortis ſit res mere contingens, aut caſualis. Sed & alia adhuc hic annectenda diſtinctio eſt; vel enim fortuitæ res ſunt *in natura ſua conſideratæ*, *vel ſecundum notitiam noſtram judiciumque æſtimatæ*. Calvin. Inſtit. l. 1. c. XVI. §. 9. pag. 63. Ad ſortis naturam ſufficere exiſtimat Gataker ſi modo res ratione *cognitionis* noſtræ caſualis, aut contingens, ſit; utcunque ratione *exiſtentiæ* neceſſaria ſit. Quod mihi quidem non placet. Quia eo modo

litigantes deciperentur ; & is qui cauſa cecidiſſet, detectâ fraude, actionem renovare, & ſua repetere poſſet. Quemadmodum ſi qui in cauſa dubia ad judicium doctiſſimi Sempronii provocarent, per errorem verò ad Cajum, virum ineptiſſimum, deflecterent; poſtea, cognito errore, is qui à Cajo damnatus eſſet, propter *errorem in perſona*, ſeſe *non obligari* reſpondere poſſet.

Sed objicit Gataker, provocatur etiam in ſorte ad *volatum avis, quæ tamen ad cadaver tendit.* De natura ſortis cap. 11. pagin. 16. Reſp. Et contingens eſt beſtiam mori, & mortuam iſtic abjici, & vulturem tum fortè fame vexari, atque eo aſcendere. Iterum objicit, quod *contendi poſſit, quo deflexura ſit effuſa aqua, quæ tamen in inæquali ſolo effuſa neceſſariò declive petit.* Ibid. Reſp. Si tam inæquale ſolum ſit ut effuſa aqua non poſſit æquè dextrorſum deflectere, ac ſiniſtrorſum, dementiæ foret id non diſcernere, & amentiæ eo, tanquam ſorte, dubium determinare. Tertiò objicit quod *provocetur ad veſtigia antegreſſi jumenti*, V.G. cum duo contendunt quo abire velint. Ibidem pag. 18. & hic c. Ameſium pag. 31. Reſp. Aut retrograda, aut deleta, poſſent eſſe veſtigia ; aut alio deflectere potuiſſet jumentum ; aut inſaniæ erit ad veſtigia illa, ut ad ſortem, provocare

care. Quartò objicit *provocari ad ſitum chartarum alicubi depoſitarum.* Diſſ. c. Ameſ. pag. 30. 31. Reſp. Nec hoc ſapientis videtur. Imo id ad ſortes divinatorias potius, quam ad diviſorias, pertinet. Quas tamen improbat ipſe Autor. Caſuale alioqui, & in ſe contingens manet, chartas alibi absconditas invenire. Manet ergo materia ſortis res, & ratione exiſtentiæ, & ratione cognitionis noſtræ, contingens; utcunque fortè ſub alio quo reſpectu neceſſarii quid habeat. *Nihil enim eſt adeo contingens, quin in ſe aliquid neceſſarium habeat. Sicut hoc ipſum quod eſt ſortem currere, in ſe quidem contingens eſt, ſed habitudo curſus ad motum eſt neceſſaria. Neceſſarium enim eſt ſortem moveri ſi currit.* Thomas II qu. lxxxvi. a. 3. in c.

Hactenus de materia ſubjectiva ſortis in genere Phyſico, ſequitur objectiva in morali. Moralia vel bona, & mandata ſunt; vel mala, & prohibita; vel adiaphora. *Quæ & à Græcis tum ἀδιάφορα, tum μέσα appellantur, ut in militiam ire &c. quoniam hæc per ſeſe ipſa neque honeſta ſunt, neque turpia, ſed, proinde ut à nobis aguntur, ita ipſis actionibus aut probanda fiunt, aut reprehendenda,* Gell. Noct. Att. l. II. c. VII. pag. 56. Hic igitur illa Perkinſi regula obſervanda: *Licitæ recreationes in rebus*

tantum adiaphoris conſiſtunt. Si enim res à Deo præceptæ ſint, non licet jocari in iis, aut ludere: Si vetitæ, iis uti omnino non convenit. Anat. Conſc. cap. III. pag. 1237. Ad eundem modum & de ſorte judicandum, materia ejus nec res mandata, nec prohibita fieri poteſt; quoniam quod ſorti ſubjicitur, ſubjicitur periculo adverſi eventus. Quod in iis quæ bona, aut mala ſunt, fieri non debet. Relinquitur ergò pro materia objectiva ſortis, *res adiaphora.*

Sed & adiaphora iterum diſpeſcit Walæus. Aliorum enim *circumſtantiæ ſolæ liberæ ſunt, ſed ſubſtantia ipſa eſt mandata; aliorum non tantum circumſtantiæ, ſed etjam res ipſæ à Deo liberæ ſunt relictæ.* Oper. Tom. I. pag. 273. a. Unumquodque eatenus materia ſortis fieri poteſt, quatenus adiaphorum eſt. Cujus omnis ſubſtantia libera relicta eſt, id totum ſorti ſubjici poteſt. V. G. Uter hircorum Deo offerretur, uter vivus abiret. Lev. XVI. 8. Cujus circumſtantia tantum libera relicta, ejus circumſtantia tantum ſorti poteſt ſubjici. *Si tibi abundaret aliquid quod oporteret dari ei qui non haberet, nec duobus dari poſſet; ſi tibi occurrerent duo, quorum neuter alium vel indigentia, vel erga te aliquâ neceſſitate ſuperaret, nihil juſtius faceres quam ut*

ſorte

ſorte eligeres, cui dandum eſſet, quod dari utrique non poſſet. Auguſt. de doctr. Chriſt. lib. I. c. XXVIII. Thomas II. IIæ. qu. XCV. a. VIII. in c. Hæc de materia ſortis, ſequitur forma.

Forma ſortis revera relativa eſt. *Sors igitur cum ſit in genere relationum.* Joſephus Medus Differt. Eccl. Triga pag. 81. Tria ergo hic maximè perpendi merentur. 1. Terminus, ſeu finis ſortitionis, *Deciſio dubii.* 2. Relatum, & veluti *principium quod*, dubium determinans, *eventus mere contingens.* 3. Correlatum & *principium quo* dubium illud determinatur; *concurſus ſpecialis Dei.* Atque ex his, pro varia eorum conſideratione, definitiones variæ eliciuntur. Quidam, non niſi terminum reſpicientes, ſortem per *deciſionem dubii* ferè definiunt. Ita Thomas, *ſortes dicuntur cum aliquid fit, ut ejus eventu conſiderato, occultum aliquid innoteſcat.* 2. 2æ. qu. 95. a. 8. in c. Quidam *principium quod* addunt, & definiunt; *ſors eſt effectus fortuitus ſtatuens de conſiliis noſtris.* Aret. probl. claſſ. 1. loc. 67. Quidam omnia comprehendunt; & providentiam divinam in definitione exprimunt. Ita Zanchius Miſcel. Tom. altero Operum Tom. VI. pag. 202. *Sors eſt actio humana, in hunc finem inſtituta, ut ex ejus eventu rem nobis incognitam divinitus agno-*

ſcere poſſimus. Ita etiam Ameſius aliique. Quanquam autem alii providentiam Dei in definitione ſortis non exprimant, non tamen eam à natura ſortis expellunt. Nam & Aretius clarè *ſortem modum conſulendi Deum* vocat; & Thomas *ſortibus divinum judicium implorari* ait; ibidem. Quare non eſt quod eos reprehendat Gataker, de nat. & uſu ſortis cap. I. præter Gatakerum Theologi quotquot ſunt, providentiam ſpecialem in ſorte agnoſcunt.

Ut autem omnia faciliora ſint, prænotari neceſſe eſt; quod providentia Dei quadruplici præſertim modo diſtinguatur. I. *Ratione formæ*, ita dicam, *internæ actus*; & ita in realem, moralem, & permiſſivam diſtinguitur. Cluto Idea Theol. diſp. x. §. 2. II. *Ratione modi externi*; & ita in mediatam & immediatam dividitur. III. *Ratione conſtitutæ regulæ*; & ita vel ordinaria, vel extraordinaria eſt. IV. *Ratione principii & ipſius operationis*; & ſic præcurſus & concurſus dicitur. Celeb. D. D. J. Hoornbeeck Inſtit. Theol. cap. VI. § VI. VII. Andr. Eſſenius Syſtem. Theol. Diſp XVIII. §. VI. VII. Sed necdum diſtinctionum ſatis eſt: nam & iiſdem actibus Deus aliquando benedicit homini, aliquando maledicit, eundemque punit. Si igitur quærant Theologi quæ & qualis in ſorte providentia reperiatur, reſpondebo.

1. Quod ratione totius operis *immediata* dici non poſſit: Quoniam ad oculum motus & operatio cauſæ ſecundæ hic apparet. Cum autem Deus mediâ operatione cauſæ ſecundæ aliquid operatur, tum actus ille providentia immediata vocari non poteſt. Neque id negant Theologi noſtri, qui actum creaturæ hic agnoſcunt. Perkins Caſ. Conſc. lib. III. cap. IV. pag. 1674. *In ſortium uſu quatuor conſideranda ſunt: primò actus noſter.*

2. Deinde dico, eſt tamen immediatus in ſorte *præcurſus*, atque ad eum in ſortitione reſpicitur. Provocatur enim in ſorte ad providentiam Dei, non in quantum ea cum cauſa ſecunda concurrit, & effectum naturæ *cauſæ ſecundæ reſpondens* producit; ſed in quantum, ut cauſa prima, omnia ad *beneplacitum ſuum* prædeterminat. Effectum cauſæ ſecundæ eſt *motus* teſſerarum, quâ motus eſt. Nemo vero neſcit, non quæri hic motum teſſerarum per ſe, ſed earum talem diſpoſitionem, qualem Deus ad deciſionem dubii optimam arbitratur. Et ratione hujus præcurſus verum eſt illud Perkinſi, quod *ſortes immediatè à Deo diſponantur*, in ſerie cauſarum ſal. & dam n cap. XXII. pag. 36.

3. In ſorte etiam eſt extraordinaria Dei directio, & veluti elevatio rei ſupra cauſarum

ſarum naturam. Ordinaria gubernatio Dei eſt cum mediâ causâ ſecundâ producit effectum, ad quod cauſa ſecunda in ſuo genere apta, & diſpoſita eſt. Hic vero ſecus ſe res habet, nullâ arte, nullo conſilio, talis in ſpecie teſſerarum diſpoſitio producta eſt. Unde etiam Cicero dixit, quod in ſorte *temeritas & caſus, non ratio, aut conſilium valeat* lib. 11. de divin. pag. mihi 1991. Atque hæc duo manifeſte in ſorte quærunt homines, primo talem immediatum Dei præcurſum; deinde talem ſortis, & omnium circa ſortem, directionem, ut talis ſit eventus, qualem *ipſe* vult, *illi* determinare non poſſunt. *Illa ratio in ſorte conſideranda eſt, quæ hanc rem ad ſuos fines deſtinat.* Walæus in Oper. Tom. 11. pag. 103. *Nam ſortes Deus regit ſpeciali manu, & virtute extraordinariâ; alioquin quid novi, aut proprii dixit Salomon? cum nihil in toto mundo ſit quod non à Dei providentia gubernetur, ſed communi & ordinaria, non vero ſpeciali iſta.* Medus Diſſ. triga pag. 84. Cum autem hæc ſpecialis directio ſolius Dei actio ſit, hinc Theologi noſtri eam immediatam Dei actionem, & immediatam Dei providentiam vocant.

4. Tandem in ſorte providentia *moralis* eſt. Deus enim ſortem inſtituit, ut eſſet homini indicium quid facere deberet. In

rebus bonis & malis legem ut normam tradidit; in controverſia circa adiaphora, ſortem ut deciſorem conſtituit; *contentiones ſubmovet ſors, & inter robuſtos dirimit.* Prov. XVIII. 18. Horſum autem is, quem dixi, præcurſus, & ſpecialis illa gubernatio petuntur, & inſtituuntur; ut ex eventu colligere queamus quid ſequi nos oporteat. *Nihil aliud hic à nobis fit, niſi quod rem, de qua ambigimus, Dei judicio exponimus, ut ipſe ſortium eventu, ceu aperto teſtimonio, indicet quæ ſit ſua ea de re voluntas.* Zanchius Oper. tom. VIII. Tract. de Divin. Per ſortes pag. 16, a. Atque in morali iſta conſideratione qui ſortes inter *oracula divina* numerant, non tantum peccant, ut propterea Gatakero vapulare debuerint, *de nat. & uſu ſortis cap.* VII, §. 9. *pag.* 195. Dicantur oracula quibus in controverſia circa adiaphora indicetur, quid Deus hominem ſequi velit, num tantum in eo peccatum eſt? neque enim eſt quod metuat quiſpiam, ne ita Ethnicorum auguria reſuſcitentur; quoniam ſortes non ut oracula divinatoria futurorum proponuntur; ſed ut regula, quam Deus in controverſia circa adiaphora homini præſcribit. Nam aliæ ſunt ſortes divinatoriæ, aliæ diviſoriæ; de qua diviſione

CAP. II.

De Diviſione Sortis.

VAtias ſortium diviſiones recenſet Gataker. *de nat, & uſu ſortis cap.* III. *pag.* 46. in quibus tamen nulla apparet Doctorum diſcrepantia. Quodſi ſortes, ut Rhetores ſuas cauſas, dividere placeat, in *demonſtrativas*, *deliberativas*, & *judiciales*, ego non refragabor. Nam in hiſce caſibus ad ſortes, & olim, & etiamnum deflectunt homines. 1. Cum phyſicam alicujus rei exiſtentiam ſciſcitari volunt. Quæ ſortes proprie *divinatoriæ* ſunt. 2. Cum circa bona & hæreditates deliberant, quam quiſque partem auferat. Et hæ *diviſoriæ* ſortes. 3. Cum plures ſunt captivi ejuſdem criminis rei, quorum judices tantum unum, atque alterum, pro merito plectere volunt. Vel etiam cum unus tantum eſt, qui an abſolvendus, an condemnandus ſit, non ita liquet. Hæ ſortes *judiciales* ſunt. Poſſent forte omnes ad divinatorias & diviſorias reduci. Ab his ut diverſa ſpecies *conſultoria* plerumque ponitur; ſed conſultatio genus potius, quam ſpecies, ſortis videtur. Inde Aretio ſors *modus conſulendi Deum* eſt. Quodſi vero conſultatio pro invocatione

illa

illa Dei accipiatur, quâ in dubio de phyſica rei exiſtentia, præterita, præſenti, futura, aut morali ejus bonitate, ſignum divinum petitur, jam demonſtrativis annumerari debet. Sin vero pro illa ſortis ſpecie ſumatur, quâ ex æqualibus ad aliquid agendum aut patiendum eligitur perſona quædam, ego eam inter judiciales collocarem.

Sortes divinatorias quod attinet, variis modis illæ apud varias gentes divinationes inſtituuntur. Plurimos enumeravit Gataker de nat. ſortis cap. x. Nobis etiam aliquid de iis dicendum.

1. Fiebat hoc per talorum aut teſſerarum jactum. *Quid enim ſors eſt? idem propemodum, quod micare, quod talos jacere, quod teſſeras.* Cicero lib. II. de div. pag. mihi 1991. Forma erat; *ſi me jaciente hoc ceciderit, eveniet; ſin minus, non eveniet.* Roſinus Antiq. Rom. l. II. ad cap. VII. pag 156.

2. Divinatio illa fiebat ad inſpectionem libri: ſi primo inſpicienti librum, locus, voto reſpondens, ſeſe offerret, bonum id omen habebatur. Sic Alexander Severus, qui anno Chriſti 220 regnavit, vatem conſulens verſus adhuc puer accepit: *Te manet imperium cœli, terræque, mariſque. Te manet imperium, quod tenet imperium.* Gatak. pag. 341. Aliquando etiam verſu

alicujus poëtæ in chartulas inſcribebant,& in urnam conjiciebant, poſtea harum unam tollebant, & verſum legebant. Quomodo locum illum de Alexandro intelligendum puto; & forte illum de ſorte Clodii: *Hic rem Romanam magno turbante tumultu Siſtet eques* &c.

3. Fiebat illa per ſortem divinatio conjectis nominibus ſortientium in urnam, & cujus nomen primo tollebatur, is criminis commiſſi reus habebatur, aut ei addicebatur quod ſorte quæſitum erat. Sueton. cap. xxi. in Nerone Claudio: *Ac ſine mora nomen ſuum in albo profitentium citharædorum juſsit adſcribi: ſorticulaque in urnam cum cæteris dimiſſa, intravit ordine ſuo.* Sic & de Mamertinis Sext. Pompejus narrat,quod Mamertini ſint dicti, *quia conjectis in ſortem duodecim Deorum nominibus, Mamers forte exierat: qui lingua Oſcorum Mars ſignificatur.* Autores Linguæ Latinæ pag. 124. Tales fuiſſe ſortes Hebræorum, Joſ. vii. 1. Sam. x. &c. autor eſt Zanchius T. I. pag. 15. Ita ſancti, & Apoſtoli in patrocinium electi à ſuperſtitioſis ſunt: *Conjectis in urnam Apoſtolorum nominibus, quum citatæ Comites eorum ſuffragia ſortirentur illa Johannis Euangeliſtæ nomen eſt ſortita; cujus patrocinio ita exhilarata eſt.* &c. de Eliſabetha Andreæ R. filia Gataker pag. 342.

4. Alii

4. Alii bacillis ad hoc aptatis uſi ſunt; quorum pars alba *proſpera*, altera nigra, aut viridis, *adverſa*, ſignificabat. Huc pertinet quod Tacitus in initio deſcriptionis Germaniæ narrat: *Sortium conſuetudo ſimplex: virgam frugiferæ arbori deciſam in ſurculos amputant, eoſque notis quibuſdam diſcretos ſuper candidam veſtem temere, ac fortuito ſpargunt: mox, ſi publice conſulatur, ſacerdos civitatis; ſin privatim, ipſe pater familias, precatus Deos, cælumque ſuſpiciens, ter ſingulos tollit, ſublatos ſecundum impreſſam ante notam interpretatur.* pag. mihi 589.

Denique 5. huc & Augures pertinent, *qui volatus avium, & voces intendunt, aliaque ſigna rerum, vel obſervationes improviſas hominibus occurrentes*, Iſidorus Orig. lib. VIII, c. IX. pag. 1021. Nam non tantum ſors diviſoria; ſed & divinatoria ab avibus dependebat: *Nigraque funeſtum condidit omen avis.* inquit Sext. Propert. lib II. Eleg. XXI. Lucanus, *Et doctus volucres augur ſervare ſiniſtras.* Virg. *Sæpe ſiniſtra cava prædixit ab ilice cornix*, Ecloga. I. Sunt & aliæ divinationum ſpecies, ſed quæ ad ſortes proprie non ſpectant.

Diviſoria ſors apud quaſcunque gentes in uſum recepta eſt. Sorte inter Judæos terra Canaan diviſa eſt Joſ. XIV. Sorte in tribu

Levi

Levi officiorum genera diſtributa ſunt 1 Chron. xxiv. xxv. Luc. 1. 9. Sorte tamen ſemel projecta poſtea ordine ſibi ſuccedebant. *Sacerdotes ordine, non ſorte, miniſterium illud ſolitos capeſſere demonſtrat* 1 *Chron.* xxiv. *Ex quo ſors primùm conjecta fuit ſervatus eſt ordo* κληρωθεὶς *in ſacerdotum miniſterio qui ſorte primum acciderat.* Junius c. Bellarm. de Cler. l. 1. c.v. pag. 1191. Sorte &c. Sorte Iſraelitæ in prælium abierunt Jud. xx. Etiam veſtimenta Salvatoris noſtri ſorte diviſa. Sorte Romani Conſules provincias dividebant, uti Livius ubique narrat. Sorte Prætores, Quæſtores, Judices aliique lecti ſunt. Quæ notiſſima ſunt omnibus. Sueton. in Veſpaſ. c. x. pag. 740. *Litium ſeries ubique majorem in modum excreverant. Sorte elegit per quos rapta bello reſtituerentur: quique judicia centumviralia, quibus peragendis vix ſuffectura litigatorum ætas videatur, extra ordinem dijudicarent.* Sortes diviſorias etiam ut divinatorias non modo in urnam, ſed in aquam conjiciebant. Tiberius in divinatione, cum *in Aponi fontem talos aureos jaceret, evenit ut ſummum numerum, jacti ab eo oſtenderent: hodieque ſub aqua viſuntur ii tali.* Suet. in Tiberio cap. xiv. pag. 306.

Aliquando ſortes illas ex *argilla* formabant. Atque tunc cujus ſors in aquam projecta

jecta

jecta prima liquefiebat, is cauſa cadebat. Hinc votum illud apud Plautum, Caſina, Act. II. Sc. VI. *Sed utinam tua quidem -- iſta in ſortiendo ſors delicuerit. Tu ut liqueſcas* &c. Ita ex Pauſania lib. IV. Martyr, Rivetus, aliique narrant, Cteſiphontem cum agrum Meſſeniorum in diviſione Peleponnenſi ſibi cuperet adſignari, *Sacerdotem Temenum corrupiſſe. Eum autem alias ſortes duraſſe ad ſolem; Cteſiphontis ad ignem*(alii dicunt *ex coctili laterculo feciſſe*) *eoque cum Cteſiphontis ſortes tardius liquefierent, illi agrum Meſſenium obtigiſſe.* Martyr Loc. Com. claſ. I, c. VII, pag. 26.

Faciebant etiam ſortes illas ex *ligno.* Et tunc cujus ſors in aquam projecta primo natabat, aut prima è fundo per manum ſortientis educebatur, is in lite iſta ſuperior erat. Quæ lepide deſcribit Plautus d. l. *vide ne qua inſit illic alia ſortis ſub aqua: num iſta aut populea ſors, aut abiegna eſt tua? Quid tu id curas? Quia enim metuo in aqua ne ſumma natet.* Notat ad eum locum Fred. Taubmannus ſortes *ex ligno duriſſimo, puta quercu*, fieri ſolitas; idque ex loco illo Ciceronis colligit lib. II. de divin. pag. 1991. *Quo modo autem iſtæ* (ſortes) *poſitæ in illo loco? quis robur illud cecidit, dolavit, inſcripſit?* Sortes illas *taleolas* fuiſſe *è ligno tæniis laneis involutas.* Autor eſt Gataker de

nat.

nat. Sortis pag. 339. *unde*, inquit, *inter prodigia Cære ſortes extænuatæ* liv. v. xxi. Eſt is locus apud Livium, Lib. xxi. cap. 62. ubi tamen Elſeviriana editio pag. 63. habet *extenuatas* pag. 64. *attenuatas*. Similiter lib. xxii. cap. 1. *Sortes ſuâ ſponte attenuatas*. Neque memini me apud ullum Scriptorem Romanum verbum *extæniare* reperiſſe.

Simile fere ſortitionis genus eſt, quo Nebucadnezarem ad obſidendam urbem Hieroſolymam coactum exiſtimat *Junius* ad Ezech. xx. pag. 219. Quod ſcil. alteri chartulæ inſcribi curarit, *Rabbatha*, alteri *Jeruſchalama*. Eaſque ſimul in urnam conjecerit. *Cum autem binæ ſortes inter ſe comparatæ eſſent, de obſidione Jeruſchalaimorum vel Rabbathæ, credibile eſt ambabus manibus ſortes eductas eſſe, ita ut quæ ſortitio ad dextram futura eſſet, ea divinitus imperari videretur*. Addit autem, ex textu, dextra extraxiſſe pyctacium cui Jeruſchalama inſcriptum erat. Alias milites in bello ſortes ut plurimum non in urnam, ſed in *galeam* conjiciebant. *Dejectamque ærea ſortem Accepit galea*. Virg. Æneid. lib. v. pag. 219.

Sortes igitur conjiciebantur. 1. in *fontem*. Sic Plin. lib. viii. Epiſt. viii. pag. 215. *Hunc ſubter fons exit – qui lato gremio pateſcit purus & vitreus, ut numerare jactas*

ſtipes

ſtipes & relucentes calculos poßis. 2. Dein in *urnam*. Sic Sext. Propert. lib. IV. Eleg. ult. *Aut ſi quis poſita Judex ſedet Æacus urna, in mea ſortita judicet oßa pila.* 3. Præterea in *galeam* uti oſtendimus ex Virgilio. 4. Addit his Beza in Act. I. *hydriam* ex Cicer. lib. IV. in Verrem. Sed locus non occurrit. Addit quinto *ſitulam* ex Plaut Caſina. Adde Livium lib. XXV. cap. III. pag 236. *Teſtibus datis, tribuni populum ſummoverunt; ſitellaque allata eſt, ut ſortirentur.* Sed neſcio an hydria, ſitula, & ſitella ab urna differant.

De judicialibus ſortibus verbum. 1. Sort creabantur *judices*, uti notiſſimum. Sueton. in Jul. Cæſ. cap. XII. pag. 12. *ac ſort Judex in reum ductus.* Judices enim d curia ſenatoria conſcribebantur, poſte conjectis in urnam nominibus ſorte eligebantur, *ut è pluribus neceſſarius numeri confici poſſet.* Lexic. Juris variorum in voc Sors.

2. Etiam cauſæ ſorte dividebantur. *Na prætores deſignati antequam Magiſtratu inirent, ſortiri inter ſe ſolebant, quis pecuniis repetundis, quis de ambitu, quis veneficiis dicturus, quis aliis denique quæſt. nibus præfuturus eſſet.* Ut in Verrinam I explicat Hotom. Lexic. Juris ibid.

3. Sorte etiam *dies* actionum deſign bant

bid.

bantur actoribus, ut illi quibus diebus cauſa ipſorum judicaretur jam ante ſcire poſſent. *Siquidem quo tempore cauſæ agebantur, conveniebant omnes, & ex ſorte dierum ordinem accipiebant, ſci. ita ut poſt* 30 *dies cauſas ſuas exequerentur.* Lexicon Juris ibid.

4. Sorte quandoque etiam *quis primus loqueretur* inquirebant Cic. l. IV. in Verrem in fine pag. 471. *Mos eſt Syracuſis, ut, ſi qua de re ad Senatum referatur, dicat ſententiam qui velit. Si quando taceant omnes, tunc ſortito coguntur dicere.*

5. Quod ſi Judex rejiceretur à reo alius ſubſortiebatur. Nam *ſors & urna fiſco judicem aſſignat: licet rejicere, licet exclamare; hunc nolo, timidus eſt, & bona ſeculi parum intelligit. Illum nolo quia Cæſarem fortiter amat.* Plin. Panegy. pag. 354. edit Elſev. Atque tum *in eorum locum qui rejecti fuerant, ſubſortiebatur prætor alios*: inquit Roſin. Antiq. Rom. l. IX. cap. XX. pag. 519.

6. Sorte etiam judicium exercebant. Neſcio tamen an id egerint alio in caſu quam ſi plures in bello rei forent. Cicero pro Cluentio pag. 670. edit. in 8. *Statuerunt ita majores noſtri ut ſi à multis eſſet flagitium rei militaris admiſſum, ſortitione in quoſdam animadverteretur ut metus videli-*

cet

cet ad omnes, pœna ad paucos perveniret. Paulo poſt id, ſe judice, in ipſa civitate tempore pacis fieri non debere innuit. *Quam conditionem ſupplicii majores in bello timiditati militis propoſitam eſſe voluerunt, eandem tu in pace conſtitues improbitati Senatoris?* Huc pertinet de *atris* & *albis* lapillis. Unde vulgo conjicitur quod etiam ipſa judicia ſortirentur; atque ita, uti Cicero ajebat, *hominum delictum fortunæ judicio committerent.* Sic enim gravis Seneca Herc. fur. v. 731. *Non unus alta ſede quæſitor ſedens, Judicia trepidis ſera ſortitur reis.* Sed tum ſortem, more Hæbreorum, pro re addicta & data ſumi, facilius crediderim. Gataker de nat. ſortis pag. 148. aſſerit, Judices *immiſiſſe ſuum quiſque calculum qualem ipſi viſum eſſet.* Quod verum exiſtimo. Quanquam addendum ſit, quod eſt in notis ad ſuperiorem Senecæ locum: *In gravibus & dubiis cauſis tabulæ, literis, C. condemnationis. A. abſolutionis. N. L.* (non liquet) *ampliationis, in ciſtam vel urnam, conjectæ ſortitione dederunt reis vel ſalutem, vel capitis periculum.* Farnabius ad illum verſum Virgilii. Æneid. l. v. pag. 247. *Nec vero hæ ſine ſorte datæ, ſine judice ſedes,* addit; *reſpici omnino arbitror ad judicia græcorum, in quibus duæ erant urnæ, in alteram conjiciebantur à judicibus ſortes, vel cal-*

calculi abſolventes, in alteram damnantes.

Atque adeo non fuit hic vera ſortitio, ſed collectio ſuffragiorum. Suffragiis in urnam, vel urnas, collectis, verſa urna cognoverunt quæ prævalerent ſuffragia. Sed ne quid nimis. Satis hoc de ſorte ſeria; de luſoria etiam paucula.

Luſoria ſors eſt ut plurimum abuſus ſortis diviſoriæ, aliquando etiam divinatoriæ. Divinabant in luſu tribus præſertim modis.

1. *Micando* digitis. Micare quid ſit, ita Calepinus explicat; *Eſt autem micare luſus genus quoddam, quod adhuc apud Italos durat, ut repente porrectis digitis certantium uterque numerum divinet.* Uter ſcilicet prior alterius numerum divinet. Loca Ciceronis hoc de luſu notiſſima ſunt lib. II. de divin. *Quid enim eſt ſors? Idem propemodum quod micare, quod talos jacere, quod teſſeras.* Et lib. III. de Officiis; *dignum eſſe dicunt quicum in tenebris mices.* Illud mirandum videtur quod ex Cauſaubono ad illum Suetonii locum refertur, *alios, patrem & filium, pro vita roganteis ſortiri vel dimicare juſſiſſe, ut alterutri concederetur*; videlicet; *etiam in contractibus faciendis, ſi de pretio, aliave qua re, non conveniret, micatione controverſiam tollebant. Sic res in foro, ſic carnes de lanio emebantur.* Sueton. in Auguſt. cap. XIII. pag. 119. 120. Quid? venditorne

ditorne merces ſuas ſorti & caſui exponebat? & numerum extenſorum digitorum divinanti etiam carnes concedebat? Quis id ſibi perſuadeat? Exiſtimo ipſos, cum jam fere de pretio inter eos conveniſſet, neque ulterius convenire poterat, tum controverſum micatione ſuſtuliſſe. Pro eo quod nos belgice dicimus, **het ſchepl (ſchil) deylen/** & dividimus controverſum quod eſt, illi micabant, & ita controverſiam tollebant.

2. Altera in luſu divinatio erat *par impar.* Quod apud pueros in patria noſtra etiamnum in uſu eſt. Sed apud Romanos viri principes etiam hæc puerorum crepundia adamabant. Auguſtus ad filiam: *Miſi tibi denarios* 250 *quos ſingulis convivis dederam, ſi vellent inter ſe, inter cœnam, vel talis, vel par impar ludere.* 3. Divinatio tertia *caput aut navis* erat. Quæ ex *Donato* ad illum Suetonii locum additur. Macrob. in Saturn. l. 1. c. VII. pag. *Ita fuiſſe ſignatum æs hodieque intelligitur in luſu aleæ, cum pueri denarios in ſublime jactantes capita aut navia, luſu teſte veſtutatis, exclamant.* Hæ pleræque divinationes in luſu.

Sed talorum & teſſerarum uſus quandoque frequentiſſimus. Quorum materia, forma, numerus, nomina, receptacula, & modus conſiderari poſſent. *Materia* erat 1. *eburnea* Propert. lib. II. Eleg. XVIII. *Et*

cupit iratum talos me poſcere eburnos. 2. aurea Juſtin. lib XXXVIII. pag. 441. *Taliſque aureis ad exprobrationem puerilis levitatis donatur.* 3. *lignea*, uti ſupra vidimus. 4. *Vitrea* Ovid. lib. II de arte.

> *Sive latrocinii ſub imagine calculus ibit*
> *Fac pereat vitreo miles ab hoſte tuus.*

Sed vitrei forte ſoli calculi fuere quibus in ludo latrunculorum utebantur.

Forma erat hæc: tali habebant quatuor latera, ita notata 1--6. & 3--4. Ita ut numeri, *qui in oppoſitis duobus lateribus eſſent. juncti ſemper efficerent ſeptem.* Caſaub. ad Suet. in Aug. cap. lxxi. pag. 218. Sed ex duabus extenſis partibus rotundi erant. Teſſeræ ſex latera habebant ex omni quadrata additis 2--5.

Numerus talorum in ludendo major erat quam teſſerarum. Martialis lib. XIV. epigr. 15. *Non ſim talorum numero par teſſera.* Talis ludebant quatuor. Plautus Curcul. Act. II. Sc III. *Talos poſcit ſibi in manum .. jacit volturios quatuor.* Teſſerarum numerus minor erat. Salmaſ ad Saluſt. mihi pag 32. & 33. *Teſſeras quod attinet, antiquiſſimi tribus utebantur, media ætas duabus, poſterius ævum ad tres rediit.*

Nomi-

Nomina erant hæc, unio, binio, ternio, quaternio, quinio, ſenio. Unio infauſtiſſimus erat; unde aliquando *canis* vocabatur. Prop. eleg. IX.

Me quoque per talos venerem quærente ſecundos
Semper damnoſi ſubſiliere canes.

Aliquando *vultur*, uti ſupra in loco Plauti; *jacit vulturios quatuor*. Ternionem & quaternionem etiam *ſuppum* & *planum* vocabant. Turneb. in notis ad Suet in Auguſt. c. LXXI. p. 218. Memini me in Taubmanno etjam alia legiſſe nomina, ſed locus non occurrit. *Cani* oppoſitus erat *ſenio*. Perſius Sat. III. §. 48.

Quid dexter ſenio ferret
Scire erat in voto damnoſa canicula quantum
Raderet.

Summus jactus *venus* dicebatur, eratque is cum omnes tali diverſo numero ſtarent; ſic. 1. 3. 4. 6. Martialis lib. XIV. Epig. XIV. *Cum ſteterit nullus vultu tibi talus eodem.* Idem etiam *Rex* dicebatur. Plautus in Curc. d. l. *Talos arripio.. jacto baſilicum.* Dicebatur autem Rex, quoniam eum qui jecerat, convivii Rex erat. Horat. Carm. lib. II. Ode VII. *Quem venus arbitrum dicet bibendi?* Confer notas ibid.

Receptacula talorum erant *fritillum*, Ju-

venalis, *parvoque eadem movet arma fritillo.* Saty. XIV. v. 5. *pyrgum* Horat. Ser. lib. II. Sat. VII. v. 17. *mitteret in pyrgum talos.* Sed ſorte hæc & ſimilia ejuſdem vaſculi nomina ſuere.

Quantum ad modum ludendi; Talos & teſſeras in fritillum conjiciebant, tum fritillum motitabant, poſt talos in menſam effundebant. Aliquando in ſingulas talorum ſpecies nummos conſtituebant; tot perderet qui canem jacerat; omnes tolleret qui venerem. Uti apud nos fit in ludo qui *ulularum* dicitur. **Het Vylenſpel.** Suet. in Aug c. lxxi. *in ſingulos talos ſingulos denarios in medium conferebat: quos tollebat univerſos qui venerem jecerat.* Caſauboni ad illud caput obſervatio eſt, jactu quatuor talorum 35. diverſos modos exhiberi poſſe.

CAP. III.

De Providentia Dei in Sorte ſeria.

NUnc ad Sortem ſeriam ſerio tranſeundum eſt; atque hic Ameſium adverſus Gatakeri vexationes, & vellicationes magis quam juſta prælia, defendere conſtitui. Sortem definit Ameſius; *petitionem divini teſtimonii, per determinationem eventus, in mera contingentia manifeſtandi, ad contro-*

ver-

verſiam aliquam dirimendam. §. 1. Opponit Gataker Ameſium aliàs in Concione aliam definitionem dediſſe; *Sors eſt actio humana meræ contingentiæ ad quæſtionem aliquam ex eventu determinandam adhibita.* Qua, inquit, *petitio divini teſtimonii nec explicite, nec implicite continetur.* pag. 11. 12, Reſp. 1, Diximus ſortem aliquando tantum cum reſpectu ad determinandum dubium definiri; atque tum quidem providentiam Dei in definitione non exprimi, non tamen negari. 2. *Actio* illa revera haud aliud quam petitio divini teſtimonii eſt.

Definitionem explicat Ameſius; petitionem ideo dixit, *quia illam naturam habet, ut exſpectet uſum illum cui inſervit à Deo ſolo, & ad ipſius providentiam eo nomine immediatum habet reſpectum.* §. 2.

Hic Gataker; *Sibyllæ folium, quod niſi Sibylla nobis explicuerit* &c. pag. 15. Reſp. Quorſum hi clamores? ſenſus eſt. *Sortitio* illam naturam habet, ut determinationem controverſiæ à ſolo Deo exſpectet. Cum Gataker ipſe fateatur in ſorte divinatoria eventum a ſolo Deo exſpectari, de nat. ſortis cap. xi. §. 6 an non iidem clamores illic excitari poſſent? Quærit *quid ibi ſit ſors? An ſubjecta materia? an ſortientes.* ibid. Reſp. Sors

ibi ipſa ſortitio eſt. Quoniam ſortitio aliquid petit à Deo, & exſpectat quod petit, ideo & ſortientes determinationem ab eodem Deo exſpectare debent.

Unde habet illam naturam, inquit pag. 16. Reſp Inde, unde ſors divinatoria. *Num ex divino aliquo inſtituto, an ex ipſius rei natura?* Reſp. Inepta hæc oppoſitio eſt; habet ex utroque. Sortitio naturâ petitio eſt, & hoc approbante Deo. Si de juramento quæram, unde habet eam naturam quod ſit petitio divini teſtimonii, an non luderet me Autor! & reponeret, *unde habeat quærit nemo?* Si eadem ſortis quæ juramenti natura, inquit, tum *nemo ſerio ſortem mittere poterit qui non tum numen, tum providentiam agnoſcat, & advocet, ad eandem appellet.* Reſp. 1. Recte, & ideo à luſu ſors procul abeſſe debet. 2. Invocatio in ſortitione non tam verbalis, quam realis. *Etiamſi actu* i. e. verbis *Deum non invoces, ut temperet tamen reipſa invocas eum ſortibus ut adſit.* Zanchius in Miſcell. Tom. 1 1. pag. 206.

Quærit poſtea p. 18. quid ſit *uſum exſpectare à Deo ſolo*: & pluribus de eo agit. Reſp. *Nodum in ſcirpo quærit*: uſus ſortis, decisio controverſiæ eſt. Uſum itaque à Deo exſpectare, eſt deciſionem controverſiæ à Deo exſpectare. Hoc captum Autoris ſuperat?

Sed iterum quærit, quæ ſit vis conſe-

quen-

quentiæ; *Sors illam naturam habet ut exſpectet uſum à ſolo Deo. Ergo ſors eſt petitio:* pag. 19. 20. Reſp. Conſequentiam videret Gataker ſi vellet: Sors ex natura ſua exſpectat deciſionem controverſiæ, per determinationem eventus caſualis à ſolo Deo; Ergo ſors eſt petitio divini teſtimonii. Num ſine viribus Autori videtur hæc conſequentia? ego ei affirmo quod facile ultimas hoſtium vires ſuſtinere queat. Quemadmodum petitio teſtimonii vel per verba fit, vel per res; ita & reſponſum, ſeu teſtimonium, vel per verba, vel per res ipſas datur. Petitur in ſorte ut Deus teſtimonium per rei dubiæ determinationem det. Num unquam quiſquam Theologorum præter Gatakerum aliter judicavit?

Ad tertiam, & ſequentes theſes nunc accedendum eſſet, ſed vere præter verborum pugnam illic nihil reperio; ad quam nullâ vi, nullâ arte, trahi me unquam patiar. Itaque ad §.7, & argumenta Ameſii feſtinabo. Iterum tamen præmonebo quam in ſorte agnoſcamus providentiam. Dicimus hic eſſe providentiam *realem*, *moralem*, *ſpecialem*, ſeu extraordinariam. *Realis* eſt ratione actus, *moralis* ratione obligationis, *ſpecialis* ratione modi dirigendi. Talem dicimus vel *ſemper ad eſſe*, vel ſemper *ut adſit reipſa peti.* Tria concedit hic Gataker. 1. Provi-

dentiam communem in ſorte adeſſe.de nat. ſortis pag. 44, 2. Sortem diviſoriam ſerio ſi fiat licitam eſſe cap. v. pag. 115... 3. Sortem divinatoriam, extra ſpeciale mandatum, illicitam cap. xi, pag. 347. Jam, quæ pro ſua ſententia argumenta habeat Ameſius videndum.

1. Arg. primum ex loco Prov. xvi, 33. petitur §. 1. & 14 *In gremium conjicitur ſors, à Jehova autem eſt totum judicium ejus.* Unde tria colliguntur. 1. Quod ſors ſpeciali modo à Deo dirigatur, *à Deo judicium ejus.* 2. Hanc directionem in ſortitione peti, id circo *ſors in gremium projicitur.* 3, Supponitur id fieri ad deciſionem dubii, quoniam alioqui fruſtra hoc peteretur divinum teſtimonium. Walæus parte 11. pag. 103. *Deo eſt tota ratio, judicium ejus; id eſt ſententia quæ quaſi per ſortem pronunciatur, ut lis finiatur.* Vid. &c. Videndum ſi aliquibus rationibus id evincere queamus.

1 Directio & regimen ſortis dicitur hic prodire à ſpeciali, & diſtincta providentia; diverſa ab ea, à qua prodit ipſa projectio ſortis. *Sors quidem projicitur, ſed tamen à Deo omne judicium ejus.* Quæ oppoſitio evincit aliud quid, & ſpeciale eſſe in regimine ſortis, quod non erat in ipſa projectione. Atqui in jactu ſortis providentia communis erat, *in ipſo movemur.* Ergo in directione

A ſpecia-

ſpecialis. Hinc ſecundam Rivetus conditionem ponit; *ut eventus rei à Deo ſolo exſpectetur, ejuſque ſpeciali providentiæ incumbatur, juxta illud ſapientis; à Domino egreditur judicium ſingulorum* Prov. XXIX. 26. ad præc. III. pag. 12.

2. Ita regimen ſortis Deo adſcribitur, ut ea in re *Deo ſoli* locus detur; neque agnoſcatur actio, vel hominis, vel fortunæ, vel alterius cujuſcunque rei. Homo ſortem in gremium conjicit, *omne* tamen ejus judicium à Deo. Igitur nec homo, nec fortuna faciunt ut ſors ita exeat. Eſt ergo hic ſingularis quædam & propria Dei actio, imo aliquid quod à Deo ſolo eſt. Quod alii idcirco immediate providentiæ effectum dicunt. *Ea proprie Dei judicio & arbitrio committuntur, quæ committuntur ſorti, qua exploratur quid Deus de hoc vel illo, nobis ignoto, in anteceſſum decreverit* Celeb. Mareſius c. Volkel. lib. I. cap. XXI. pag 219. a,

3. Niſi hic ſpecialis agnoſcatur actio, tum *nihil novi, aut proprii, dixit Salomon; cum nihil in toto mundo ſit, quod non à Dei providentia gubernetur*, inquit Joſeph Medus. Qui tamen in capite de alea cum Gatakero ex parte ſentit. Et ſane ſpeciale quid hic de ſorte dici, quod in quibuſcunque rebus invenire non ſit, id ex ſe patet. Speciale quid hic petebatur, cum *ſors in gremium conjiceretur*,

nat. Sortis pag. 339. *unde*, inquit, *inter prodigia Cære ſortes extænuatæ* liv. v. xxi. Eſt is locus apud Livium, Lib. xxi. cap. 62. ubi tamen Elſeviriana editio pag. 63. habet *extenuatas* pag. 64. *attenuatas*. Similiter lib. xxii. cap. 1. *Sortes ſuâ ſponte attenuatas*. Neque memini me apud ullum Scriptorem Romanum verbum *extæniare* reperiſſe.

Simile fere ſortitionis genus eſt, quo Nebucadnezarem ad obſidendam urbem Hieroſolymam coactum exiſtimat *Junius* ad Ezech. xx. pag. 219. Quod ſcil. alteri chartulæ inſcribi curarit, *Rabbatha*, alteri *Jeruſchalama*. Eaſque ſimul in urnam conjecerit. *Cum autem binæ ſortes inter ſe comparatæ eſſent, de obſidione Jeruſchalaimorum vel Rabbathæ, credibile eſt ambabus manibus ſortes eductas eſſe, ita ut quæ ſortitio ad dextram futura eſſet, ea divinitus imperari videretur.* Addit autem, ex textu, dextra extraxiſſe pyctacium cui Jeruſchalama inſcriptum erat. Alias milites in bello ſortes ut plurimum non in urnam, ſed in *galeam* conjiciebant. *Dejectamque ærea ſortem Accepit galea.* Virg. Æneid. lib. v. pag. 219.

Sortes igitur conjiciebantur, 1. in *fontem*. Sic Plin. lib. viii. Epiſt. viii. pag. 215. -*Hunc ſubter fons exit - qui lato gremio pateſcit purus & vitreus, ut numerare jactas*

ſtipes

ſtipes & relucentes calculos poſſis. 2. Dei
in *urnam*. Sic Sext. Propert. lib. IV. Eleg
ult. *Aut ſi quis poſita Judex ſedet Æacu
urna, in mea ſortita judicet oſſa pila.* 3
Præterea in *galeam* uti oſtendimus ex Vi
gilio. 4. Addit his Beza in Act. 1. *hydrian*
ex Cicer. lib. IV. in Verrem. Sed locus no
occurrit. Addit quinto *ſitulam* ex Plau
Caſina. Adde Livium lib. XXV. cap. III. pag
236. *Teſtibus datis, tribuni populum ſum
moverunt; ſitellaque allata eſt, ut ſortiren
tur.* Sed neſcio an hydria, ſitula, & ſitella
ab urna differant.

De judicialibus ſortibus verbum. 1. Sort
creabantur *judices*, uti notiſſimum. Sue
ton. in Jul. Cæſ. cap. XII. pag. 12. *ac ſort
Judex in reum ductus.* Judices enim d
curia ſenatoria conſcribebantur, poſte
conjectis in urnam nominibus ſorte elige
bantur, *ut è pluribus neceſſarius numer
confici poſſet.* Lexic. Juris variorum in vo
Sors.

2. Etiam cauſæ ſorte dividebantur. *Na
prætores deſignati antequam Magiſtratu
inirent, ſortiri inter ſe ſolebant, quis
pecuniis repetundis, quis de ambitu, quis
veneficiis dicturus, quis aliis denique quæſt
nibus præfuturus eſſet.* Ut in Verrinam 1
explicat Hotom. Lexic. Juris ibid.

3. Sorte etiam *dies* actionum deſign
ban

bantur actoribus, ut illi quibus diebus cau-
a ipſorum judicaretur jam ante ſcire poſ-
ent. *Siquidem quo tempore cauſæ ageban-
tur, conveniebant omnes, & ex ſorte dierum
ordinem accipiebant, ſci. ita ut poſt 30 dies
cauſas ſuas exequerentur.* Lexicon Juris
bid.

4. Sorte quandoque etiam *quis primus
loqueretur* inquirebant Cic. l. IV. in Verrem
n fine pag. 471. *Mos eſt Syracuſis, ut, ſi
qua de re ad Senatum referatur, dicat ſen-
tentiam qui velit. Si quando taceant o-
mnes, tunc ſortito coguntur dicere.*

5. Quodſi Judex rejiceretur à reo alius
ſubſortiebatur. Nam *ſors & urna fiſco judi-
cem aſſignat: licet rejicere, licet exclamare;
hunc nolo, timidus eſt, & bona ſeculi parum
intelligit. Illum nolo quia Cæſarem fortiter
amat.* Plin. Panegy. pag. 354. edit Elſev.
Atque tum *in eorum locum qui rejecti fue-
rant, ſubſortiebatur prætor alios*: inquit
Roſin. Antiq. Rom. l. IX. cap. XX. pag.
519.

6. Sorte etiam judicium exercebant.
Neſcio tamen an id egerint alio in caſu
quam ſi plures in bello rei forent. Cicero
pro Cluentio pag. 670. edit. in 8. *Statue-
runt ita majores noſtri ut ſi à multis eſſet fla-
gitium rei militaris admiſſum, ſortitione in
quoſdam animadverteretur ut metus videli-*
cet

cet ad omnes, pœna ad paucos perveniret. Paulo poſt id, ſe judice, in ipſa civitate tempore pacis fieri non debere innuit. *Quam conditionem ſupplicii majores in bello timiditati militis propoſitam eſſe voluerunt, eandem tu in pace conſtitues improbitati Senatoris?* Huc pertinet de *atris* & *albis* lapillis. Unde vulgo conjicitur quod etiam ipſa judicia ſortirentur; atque ita, uti Cicero ajebat, *hominum delictum fortunæ judicio committerent.* Sic enim gravis Seneca Herc. fur. v. 731. *Non unus alta ſede quæſitor ſedens, Judicia trepidis ſera ſortitur reis.* Sed tum ſortem, more Hæbreorum, pro re addicta & data ſumi, facilius crediderim. Gataker de nat. ſortis pag. 148. aſſerit, Judices *immiſiſſe ſuum quiſque calculum qualem ipſi viſum eſſet.* Quod verum exiſtimo. Quanquam addendum ſit, quod eſt in notis ad ſuperiorem Senecæ locum: *In gravibus & dubiis cauſis tabulæ, literis, C. condemnationis. A. abſolutionis. N. L.* (non liquet) *ampliationis, in ciſtam vel urnam, conjectæ ſortitione dederunt reis vel ſalutem, vel capitis periculum.* Farnabius ad illum verſum Virgilii, Æneid. l. v. pag. 247. *Nec vero hæ ſine ſorte datæ, ſine judice ſedes,* addit; *reſpici omnino arbitror ad judicia græcorum, in quibus duæ erant urnæ, in alteram conjiciebantur à judicibus ſortes, vel cal-*

calculi abſolventes, in alteram damnantes.

Atque adeo non fuit hic vera ſortitio, ſed collectio ſuffragiorum. Suffragiis in urnam, vel urnas, collectis, verſa urna cognoverunt quæ prævalerent ſuffragia. Sed ne quid nimis. Satis hoc de ſorte ſeria; de luſoria etiam paucula.

Luſoria ſors eſt ut plurimum abuſus ſortis diviſoriæ, aliquando etiam divinatoriæ. Divinabant in luſu tribus præſertim modis.

1. *Micando* digitis. Micare quid ſit, ita Calepinus explicat; *Eſt autem micare luſus genus quoddam, quod adhuc apud Italos durat, ut repente porrectis digitis certantium uterque numerum divinet.* Uter ſcilicet prior alterius numerum divinet. Loca Ciceronis hoc de luſu notiſſima ſunt lib. II. de divin. *Quid enim eſt ſors? Idem propemodum quod micare, quod talos jacere, quod teſſeras.* Et lib. III. de Officiis; *dignum eſſe dicunt quicum in tenebris mices.* Illud mirandum videtur quod ex Cauſaubono ad illum Suetonii locum refertur, *alios, patrem & filium, pro vita roganteis ſortiri vel dimicare juſſiſſe, ut alterutri concederetur*; videlicet; *etiam in contractibus faciendis, ſi de pretio, aliave qua re, non conveniret, micatione controverſiam tollebant. Sic res in foro, ſic carnes de lanio emebantur.* Sueton. in Auguſt. cap. XIII, pag. 119. 120. Quid? venditorne

ditorne merces ſuas ſorti & caſui exponebat? & numerum extenſorum digitorum divinanti etiam carnes concedebat? Quis id ſibi perſuadeat? Exiſtimo ipſos, cum jam fere de pretio inter eos conveniſſet, neque ulterius convenire poterat, tum controverſum micatione ſuſtuliſſe. Pro eo quod nos belgice dicimus, **het ſcheyl (ſchil) deylen/** & dividimus controverſum quod eſt, illi micabant, & ita controverſiam tollebant.

2. Altera in luſu divinatio erat *par impar.* Quod apud pueros in patria noſtra etiamnum in uſu eſt. Sed apud Romanos viri principes etiam hæc puerorum crepundia adamabant. Auguſtus ad filiam: *Miſi tibi denarios* 250 *quos ſingulis convivis dederam, ſi vellent inter ſe, inter cœnam, vel talis, vel par impar ludere.* 3. Divinatio tertia *caput aut navis* erat. Quæ ex *Donato* ad illum Suetonii locum additur. Macrob. in Saturn. l. 1. c. VII. pag. *Ita fuiſſe ſignatum æs hodieque intelligitur in luſu aleæ, cum pueri denarios in ſublime jactantes capita aut navia, luſu teſte veſtutatis, exclamant.* Hæ pleræque divinationes in luſu.

Sed talorum & teſſerarum uſus quandoque frequentiſſimus. Quorum materia, forma, numerus, nomina, receptacula, & modus conſiderari poſſent. *Materia* erat 1. *eburnea* Propert. lib. II. Eleg. XVIII. *Et cupit*

cupit iratum talos me poſcere eburnos. 2. aurea Juſtin.lib XXXVIII.pag. 441. *Taliſque aureis ad exprobrationem puerilis levitatis donatur.* 3. *lignea*, uti ſupra vidimus. 4. *Vitrea* Ovid. lib. II de arte.

Sive latrocinii ſub imagine calculus ibit
Fac per eat vitreo miles ab hoſte tuus.

Sed vitrei forte ſoli calculi fuere quibus in ludo latrunculorum utebantur.

Forma erat hæc: tali habebant quatuor latera, ita notata 1--6. & 3--4. Ita ut numeri, *qui in oppoſitis duobus lateribus eſſent, juncti ſemper efficerent ſeptem.* Caſaub. ad Suet. in Aug. cap. lxxi. pag. 218. Sed ex duabus extenſis partibus rotundi erant. Teſſeræ ſex latera habebant ex omni quadrata additis 2--5.

Numerus talorum in ludendo major erat quam teſſerarum. Martialis lib. XIV. epigr. 15. *Non ſim talorum numero par teſſera.* Talis ludebant quatuor. Plautus Curcul. Act. II. Sc III. *Talos poſcit ſibi in manum .. jacit volturios quatuor.* Teſſerarum numerus minor erat. Salmaſ ad Saluſt. mihi pag 32. & 33. *Teſſeras quod attinet, antiquiſſimi tribus utebantur, media ætas duabus, poſterius ævum ad tres rediit.*

Nomi-

Nomina erant hæc, unio, binio, ternio, quaternio, quinio, ſenio. Unio infauſtiſſimus erat; unde aliquando *canis* vocabatur. Prop. eleg. IX.

Me quoque per talos venerem quærente ſecundos
Semper damnoſi ſubſiliere canes.

Aliquando *vultur*, uti ſupra in loco Plauti; *jacit vulturios quatuor*. Ternionem & quaternionem etiam *ſuppum* & *planum* vocabant. Turneb. in notis ad Suet in Auguſt. c. LXXI. p. 218. Memini me in Taubmanno etjam alia legiſſe nomina, ſed locus non occurrit. *Cani* oppoſitus erat *ſenio*. Perſius Sat. III. §. 48.

Quid dexter ſenio ferret
Scire erat in voto damnoſa canicula quantum
Raderet.

Summus jactus *venus* dicebatur, eratque is cum omnes tali diverſo numero ſtarent; ſic. 1.3.4.6. Martialis lib. XIV. Epig. XIV. *Cum ſteterit nullus vultu tibi talus eodem.* Idem etiam *Rex* dicebatur. Plautus in Curc. d. l. *Talos arripio. jacto baſilicum.* Dicebatur autem Rex, quoniam eum qui jecerat, convivii Rex erat. Horat. Carm. lib. II. Ode VII. *Quem venus arbitrum dicet bibendi?* Confer notas ibid.

Receptacula talorum erant *fritillum*, Ju-

venalis, *parvoque eadem movet arma fritillo.* Saty. xiv. v. 5. *pyrgum* Horat. Ser lib. ii. Sat. vii. v. 17. *mitteret in pyrgum talos.* Sed forte hæc & ſimilia ejuſdem vaſculi nomina uere.

Quantum ad modum ludendi; Talos & teſſeras in fritillum conjiciebant, tum fritillum motitabant, poſt talos in menſam effundebant. Aliquando in ſingulas talorum ſpecies nummos conſtituebant; tot perderet qui canem jacerat; omnes tolleret qui venerem. Uti apud nos fit in ludo qui *ulularum* dicitur. Het Uylenſpel. Suet. in Aug c. lxxi. *in ſingulos talos ſingulos denarios in medium conferebat: quos tollebat univerſos qui venerem jecerat.* Caſauboni ad illud caput obſervatio eſt, jactu quatuor talorum 35. diverſos modos exhiberi poſſe.

CAP. III.

De Providentia Dei in Sorte ſeria.

NUnc ad Sortem ſeriam ſerio tranſeundum eſt; atque hic Ameſium adverſus Gatakeri vexationes, & vellicationes magis quam juſta prælia, defendere conſtitui. Sortem definit Ameſius; *petitionem divini teſtimonii, per determinationem eventus, in mera contingentia manifeſtandi, ad contro-*

ver-

verſiam aliquam dirimendam. §. 1. Opponit Gataker Ameſium aliàs in Concione aliam definitionem dediſſe; *Sors eſt actio humana meræ contingentiæ ad quæſtionem aliquam ex eventu determinandam adhibita.* Qua, inquit, *petitio divini teſtimonii nec explicite, nec implicite continetur.* pag. 11. 12, Reſp. 1, Diximus ſortem aliquando tantum cum reſpectu ad determinandum dubium definiri; atque tum quidem providentiam Dei in definitione non exprimi, non tamen negari. 2. *Actio* illa revera haud aliud quam petitio divini teſtimonii eſt.

Definitionem explicat Ameſius; petitionem ideo dixit, *quia illam naturam habet, ut exſpectet uſum illum cui inſervit à Deo ſolo, & ad ipſius providentiam eo nomine immediatum habet reſpectum.* §. 2.

Hic Gataker; *Sibyllæ folium, quod niſi Sibylla nobis explicuerit* &c. pag. 15. Reſp. Quorſum hi clamores? ſenſus eſt. *Sortitio* illam naturam habet, ut determinationem controverſiæ à ſolo Deo exſpectet. Cum Gataker ipſe fateatur in ſorte divinatoria eventum à ſolo Deo exſpectari, de nat. ſortis cap. x 1. §. 6 an non iidem clamores illic excitari poſſent? Quærit *quid ibi ſit ſors? An ſubjecta materia? an ſortientes.* ibid. Reſp. Sors

bi ipſa ſortitio eſt. Quoniam ſortitio aliquid petit à Deo, & exſpectat quod petit, ideo & ſortientes determinationem ab eodem Deo exſpectare debent.

Unde habet illam naturam, inquit pag. 16. Reſp Inde, unde ſors divinatoria. *Num ex divino aliquo inſtituto, an ex ipſius rei natura?* Reſp. Inepta hæc oppoſitio eſt; habet ex utroque. Sortitio naturâ petitio eſt, & hoc approbante Deo. Si de juramento quæram, unde habet eam naturam quod ſit petitio divini teſtimonii, an non luderet me Autor! & reponeret, *unde habeat quærit nemo?* Si eadem ſortis quæ juramenti natura, inquit, tum *nemo ſerio ſortem mittere poterit qui non tum numen, tum providentiam agnoſcat, & advocet, ad eandem appellet.* Reſp. 1. Recte, & ideo à luſu ſors procul abeſſe debet. 2. Invocatio in ſortitione non tam verbalis, quam realis. *Etiamſi actu i. e.* verbis *Deum non invoces, ut temperet tamen reipſa invocas eum ſortibus ut adſit.* Zanchius in Miſcell. Tom. 11. pag. 206.

Quærit poſtea p. 18. quid ſit *uſum exſpectare à Deo ſolo*: & pluribus de eo agit. Reſp. *Nodum in ſcirpo quærit*: uſus ſortis, decíſio controverſiæ eſt. Uſum itaque à Deo exſpectare, eſt deciſionem controverſiæ à Deo exſpectare. Hoc captum Autoris ſuperat?

Sed iterum quærit, quæ ſit vis conſequen-

quentiæ; *Sors illam naturam habet ut exſpectet uſum à ſolo Deo. Ergo ſors eſt petitio:* pag. 19. 20. Reſp. Conſequentiam videret Gataker ſi vellet: Sors ex natura ſua exſpectat deciſionem controverſiæ, per determinationem eventus caſualis à ſolo Deo; Ergo ſors eſt petitio divini teſtimonii. Num ſine viribus Autori videtur hæc conſequentia? ego ei affirmo quod facile ultimas hoſtium vires ſuſtinere queat. Quemadmodum petitio teſtimonii vel per verba fit, vel per res; ita & reſponſum, ſeu teſtimonium, vel per verba, vel per res ipſas datur. Petitur in ſorte ut Deus teſtimonium per rei dubiæ determinationem det. Num unquam quiſquam Theologorum præter Gatakerum aliter judicavit?

Ad tertiam, & ſequentes theſes nunc accedendum eſſet, ſed vere præter verborum pugnam illic nihil reperio; ad quam nullâ vi, nullâ arte, trahi me unquam patiar. Itaque ad §. 7, & argumenta Ameſii feſtinabo. Iterum tamen præmonebo quam in ſorte agnoſcamus providentiam. Dicimus hic eſſe providentiam *realem, moralem, ſpecialem*, ſeu extraordinariam. *Realis* eſt ratione actus, *moralis* ratione obligationis, *ſpecialis* ratione modi dirigendi. Talem dicimus vel *ſemper ad eſſe*, vel ſemper *ut adſit reipſa peti.* Tria concedit hic Gataker. 1. Provi-

dentiam communem in ſorte adeſſe. de nat. ſortis pag. 44. 2. Sortem diviſoriam ſerio ſi fiat licitam eſſe cap. v. pag. 115... 3. Sortem divinatoriam, extra ſpeciale mandatum, illicitam cap. xI, pag. 347. Jam, quæ pro ſua ſententia argumenta habeat Ameſius videndum.

1. Arg. primum ex loco Prov. xvI, 33. petitur §. 1. & 14 *In gremium conjicitur ſors, à Jehova autem eſt totum judicium ejus.* Unde tria colliguntur. 1. Quod ſors ſpeciali modo à Deo dirigatur, *à Deo judicium ejus.* 2. Hanc directionem in ſortitione peti, idcirco *ſors in gremium projicitur*. 3. Supponitur id fieri ad deciſionem dubii, quoniam alioqui fruſtra hoc peteretur divinum teſtimonium. Walæus parte II. pag. 103. *Deo eſt tota ratio, judicium ejus; id eſt ſententia quæ quaſi per ſortem pronunciatur, ut lis finiatur.* Vid. &c. Videndum ſi aliquibus rationibus id evincere queamus.

1 Directio & regimen ſortis dicitur hic prodire à ſpeciali, & diſtincta providentia; diverſa ab ea, à qua prodit ipſa projectio ſortis. *Sors quidem projicitur, ſed tamen à Deo omne judicium ejus.* Quæ oppoſitio evincit aliud quid, & ſpeciale eſſe in regimine ſortis, quod non erat in ipſa projectione. Atqui in jactu ſortis providentia communis erat, *in ipſo movemur.* Ergo in directione ſpecia-

ſpecialis. Hinc ſecundam Rivetus conditionem ponit; *ut eventus rei à Deo ſolo exſpectetur, ejuſque ſpeciali providentiæ incumbatur, juxta illud ſapientis; à Domino egreditur judicium ſingulorum* Prov. xxix. 26. ad præc. 111. pag. 12.

2. Ita regimen ſortis Deo adſcribitur, ut ea in re *Deo ſoli* locus detur; neque agnoſcatur actio, vel hominis, vel fortunæ, vel alterius cujuſcunque rei. Homo ſortem in gremium conjicit, *omne* tamen ejus judicium à Deo. Igitur nec homo, nec fortuna faciunt ut ſors ita exeat. Eſt ergo hic ſingularis quædam & propria Dei actio, imo aliquid quod à Deo ſolo eſt. Quod alii idcirco immediate providentiæ effectum dicunt. *Ea proprie Dei judicio & arbitrio committuntur, quæ committuntur ſorti, qua exploratur quid Deus de hoc vel illo, nobis ignoto, in anteceſſum decreverit* Celeb. Mareſius c. Volkel. lib. 1. cap. xxi. pag 219. a,

3. Niſi hic ſpecialis agnoſcatur actio, tum *nihil novi, aut proprii, dixit Salomon; cum nihil in toto mundo ſit, quod non à Dei providentia gubernetur*, inquit Joſeph Medus. Qui tamen in capite de alea cum Gatakero ex parte ſentit. Et ſane ſpeciale quid hic de ſorte dici, quod in quibuſcunque rebus invenire non ſit, id ex ſe patet. Speciale quid hic petebatur, cum *ſors in gremium conjice-*

retur, ſpecialis ſcil. dubii determinatio. Atqui hoc quod petitur in totum à Deo dari dicitur. *Placuit cœleſte precari Numen, & auxilium per ſacras quærere ſortes. Mota Dea eſt, ſortemque dedit.* Ovid. Metam. fab. VII. pag. 16. plura non addo,

Adeo hic hæret Gataker, ut quod reſpondeat verbum non inveniat. Non audet dicere intelligi ſortem extraordinariam, ſeu divinatoriam; quoniam id demonſtrare non poteſt. Nec ſufficit dicere id totum ad providentiam ordinariam referendum; quoniam locus unicuique aliud ſuadet. Scindit ergo nodum; & primo objicit Prov. XXI. 29. Pſal. XLIV. 3. 6. 7. *Etiamſi equus & arma in bello adhibeantur, exitus tamen totus à Deo eſt.* pag. 14. & 52. Reſp. 1. In neutro loco verba ita leguntur; *Totum*, aut *omne*, ex *Keri* & *Ketib*, aut ſupplementis Gatakeri eſt. 2. Pſalmus XLIV. expreſſis verbis de liberatione Iſraelitarum ex Ægypto agit; *Patres noſtri id nobis enarrarunt, opus operatus es in diebus eorum, diebus priſtinis.* An ea etiam in re ſpecialem providentiam non agnoſcit Gataker? 3. Providentia ſpecialis non tantum adhibetur cum Deus contingentia ad dubii deciſionem ſpeciali manu dirigit; ſed & cum mediis, ad ſpecialem alicujus caſtigationem aut felicitatem, aut benedicit aut maledicit. Et hanc ſpecialem provi-

providentiam ſi quis in bello neget, eum ego profanum non dicam, ſed demonſtrabo. Vide ſis Pſ. XXXIII. 1 Sam. XIV. 6. Thren. III. 38. Amoſ. III. 6. *Victrix cauſa Deis placuit*, inquit Lucanus Pharſ. lib. 1. *At tu pater Deum hominumque hinc ſaltem arce hoſtes: de me terrorem Romanis fugamque fœdam ſiſte* Liv. l. 1 cap. XII. pag. 16.

Deinde objicit, ſi de ſortibus quibuſvis locus capiatur, ſequetur *providentiam ſingularem ſortibus in univerſum omnibus intervenire. Quod tamen Ameſius non vult* pag. 52. Reſp. Id non magis ſequitur, quam Deum ſemper ſpeciali providentiâ excipere quævis juramenta, quaſvis preces. Nam & hæ ad ſpecialem providentiam reſpiciunt. Deſcribit Salomon quid quæratur in ſorte juſta, quid inveniatur; neceſſe tamen non eſt, id etiam in quavis impia locum habeat. *Hæc omnia contra leges divinas. Qui autem optarent ea quæ fas non ſit, eos ajebas merito ſic apud Deos nihil impetrare, ut qui petunt iniqua repulſam apud homines ferunt* Xenoph. de Cyro lib. 1. pag. m. 74. Sed 2. quid ſi Ameſius hic per Epiſcopium reſpondeat; *in hoc caſu fieri poſſe ut Deus, ſive per angelum, ſive per Dæmonem, ſortem ita dirigat?* ut ſcil. ludentes providentia puniat, victum & victorem induret, victum inſuper affligat. Epiſcop. parte II. Quæſt. XLVIII.

pag. 49. Præterea. 3. Non dicimus in ſorte immediatam Dei providentiam eſſe, ratione omnium quæ reperiuntur in ſorte. Scimus cum ſortes ex pileo, aut urna manu tolluntur, providentiam ibi mediatam eſſe. Dicimus tamen & illic immediatum eſſe præcurſum, & ſpeciale regimen; quibus Deus facit ut eveniat, non quod ſortientes volunt, ſed quod ipſe vult. Atque hoc in ſorte reipſa exſpectari defendimus.

11. Secundi argumenti loco urgebimus finem ſortis, qui eſt controverſiæ determinatio Prov. XVI. 33. XVIII. 18. Atqui controverſiæ determinatio hic à Deo, & ſpeciali ejus gubernatione petitur. *Oſtende Domine utrum ex his duobus elegeris* Act. 1. 24. Atque hinc vulgo dici conſnevit, **Het lot geeft Godt.** Eſt ergo *ſors vox Dei* inquit Spanhem. Dub. Euang. parte II. pag. 223. Non ſpectatur hic providentia Dei communis; quoniam ea convenienter naturæ cauſarum ſecundarum, & non niſi communi modo, agit. Eſt autem hic ſpecialis caſus determinandi dubii; ad quem providentia communis reſpectum non habet. Sed in ſpeciali caſu ſpecialis determinatio quæritur. Sic ille apud Plautum; *Quid ſi ſors aliter quam voles evenerit? ST. Benedice, Diis ſum fretus; Deos ſperabimus.* Plautus Caſina Act. II. Sc. V.

Ad

Ad locum Act. 1. excipiet, ſcio, agi illic de ſorte extraordinaria. Reſpondebo tamen, manifeſte agi illic de ſorte *diviſoria*, non *divinatoria* aut conſultoria. Non quærebatur quid moraliter bonum eſſet: nam uterque eligibilis erat. Nullum extraordinarium reſponſum aut auxilium petebatur. Neque quidquam hic eſt, quod ordinariâ ſorte decidi non poterat. Ad locum Prov. XVIII. pag. 13. nihil reſpondet, niſi *credere ſe non eo fine ab autore illum adſcriptum*, ut ſpecialem in ſorte providentiam demonſtraret. Neque ego credo ſic reſpondiſſe Gatakerum ut nobis ſatisfaceret. *Summa eſt*, inquit Cartwricht ad Prov. XVIII. *ſingularem eſſe ſortis uſum in componendis litibus.* Quòd à ſingulari Dei actione in ſorte procul dubio prodit. Hinc etiam eſt, *quod à bonorum diviſione ſorte facta, non detur recurſus.* & quod à *judicio ſortis appellari non poſſit.* Quoniam homines ſuperiorem Judicem non agnoſcunt, & huic ſeſe ut ſummo ſubjecerunt. Habes illa in notis Salmuthi ad Pancirollam. p. 1. tit. XLIV. pag. 174. *Quodſi itaque ſortis judicium adhibitum fuerit, ſtandum ei omnino erit, nec ulla inde dabitur provocatio: cum ut Baldus dicebat: fortuna, vel ſors, ſuperiorem in hoc mundo non habeat.* Addit Marant. *bene tamen ſi fraus eſſet commiſſa poſſet peti*

ut iterum ponantur ſortes. Spec. §. de teſt. produc. p. 328. Petitur itaque in ſorte ſpecialis Dei directio, & controverſiæ deciſio.

III. Tertium arg. ex §. 7. petemus: *Vel fortuna dominatur in ſorte, vel ſingularis Dei providentia.* Sed non fortuna; ſpecialis ergo Dei providentia. Nam aut Ethnici omnia ſua proſpera & adverſa, præſertim vero caſualia, fortunæ tribuebant, aut fortunam veri Dei nomen eſſe exiſtimabant. Ita Seneca de benef. lib. IV. cap. VIII. pag. 441. *Sic hunc naturam voca, fatum, fortunam, omnia ejuſdem Dei nomina, varie ſuâ poteſtate utentis.* Ita optimi. Alii vero.

Me pulſum patria, pelagique extrema ſequentem,
Fortuna omnipotens, & ineluctabile fatum
His poſuere locis... Virg. Æne. l. VIII. pag. 300.

Peſſimi, ut Cicero ad Heren. lib. II. *Sunt autem philoſophi qui, contra, fortunam negent* (neſcio cur Elſevirii editio pag. 40. *miſeriam* interſeruerit) *eſſe ullam; ſed temeritate omnia autument regi.* Quod autem Ethnici fortuna factum exiſtimabant, id Chriſtiani ſpeciali Dei providentiæ ut plurimum adſcribendum ſciunt Atque ita ſe res in ſorte habet. Aut iterum fortunam in ſolium collocari oportet, aut ſpecialem Dei digitum hic intueri.

Imo

Imo inquit Gataker tertium datur, res ſcil. *quæ à cauſa producitur ſuâ facultate agente* pag. 33. Reſp. Talis res ſi ſortem, ut ſors eſt, dirigat, tum aut ſors ſors eſſe deſinit, aut illa res in Deum transformatur. Nam in ratione cauſarum inferiorum in ſorte eſſe *eventum mere caſualem*, qui nullâ regitur, aut *providentia*, *aut præſagio*, ipſe docuit, *de nat. & uſu ſortis cap.* 1. & 11. Quantocunque itaque res judicio polleat, facultate utatur, certe in ſorte nihil horum utitur.

Imo inquit *quicquid dominatur in aliis contingentibus meris extra ſortem*, *idem in eiſdem ubi ſortium materia fiunt dominetur*. pag. 34. Reſp. In iis ut plurimum providentia communis dominatur, aliquando etjam ſpecialis. Quoties autem providentia communis judex conſtituitur, toties ſingulare quid ab ea exſpectatur. Aliud enim longe eſt providentiam Dei intueri in effectis; aliud actum providentiæ poſtulare ad deciſionem dubii. Poſterius hoc fieri non poteſt abſque reſpectu ad immediatum Dei præcurſum. Et neceſſe eſt hic petatur, Deus ut omnia ita dirigat, ut eveniat quod cuique noſtrum optimum eſt. En ergo providentia ſpecialis; realis ſci. directio rei, & velut ſupra communem naturam elevatio, ad uſum moralem, & finem ſpecialem.

IV. Arg. in §. VIII. eſt. Summa eſt; quæritur in ſorte judex qui ingenio, & judicio valeat; atque adeo, *tales contingentias certo conſilio dirigere poſſit. Reipſa ergo ſortis uſus appellatio ad Deum eſt, vel verum, vel fictum.*

Reſpondet Gataker non requiri talem judicem. *Quid ni determinatio & ab alite peti poſſit, in cujus poteſtate eſt eam determinare* pag. 36. Sed repono. 1. Ab alite peti non poteſt, quod ales dare non poteſt. Ales autem mihi meum, tibi tuum, ndicare non poteſt. Alioqui Propheta dicere debuiſſet; *& ab alite omne judicium ejus.* 2. Ales vel ut cauſa prima conſiderabitur, vel ut ſecunda. *Prima* fieri non poſſet, niſi Deum de throno ſuo deturbaret; atque ideo abſque profanitate ut prima conſiderari non poteſt. Ut *ſecunda*, ita ad ſpecialem providentiam reſpectum habet. Eſt enim talis, vel talis motio ejus, eventus mere caſualis; eo modo ad deciſionem dubii determinatus. In quo caſu eventus ille non niſi ut medium ſpectatur, quo principalis determinans, velut inſtrumento utitur. Atque ut ſymbolo indicat, quæ ſua ſit ea de re voluntas. *Unde non abs re ſcriptura ait, ſors cecidit ſuper hunc & illum. Oſtendit enim ſortem ex alto deſcendere.* Zanch. de Nat. Dei lib. V. c. 1 qu. IV. pag. 454. Het lot geeft Godt. Si ſit in poteſtate cauſæ

ſecun-

ſecundæ, quæ judicio nullo regitur, per ſe dubium determinare, tum eventus etiam Deo adſcribi non debet, ſed fortunæ & caſui. Niſi enim eventus caſualis ad ſingularem Dei præcurſum referatur, non erit in eo quidquam invenire præter fortunam & caſum. Atque adeo ſi duo competitores, uter conſulatum obtenturus ſit, ſortiantur, canere debebunt cum Juven. Saty. VII. pag. 272. v. 197.

Si fortuna volet, fies de Rhetore Conſul.
Si volet hæc eadem, fies de Conſule Rhetor.

V. Patet idem præterea ex Ameſii §. 10. & 11. Quæ nos quinti argumenti loco capimus. Summa hæc eſt. *Quod eſt in ſe indifferens & dubium, id poteſtatem non habet dubium determinandi; neque in ea determinatione principale agens fieri poteſt.* Atqui eventus caſualis dubia in res eſt. Ergo.

Hic noſter ſtrepit quod Ameſius dixerit; *judicium in ſorte exſpectari*, & in contingentibus illis *poteſtatem judicium ferendi nullam eſſe:* Atque ideo *judicium à certa Dei providentia debere ſingulariter exſpectari.* Quærit *quid ſit judicium, quid judicium ferre de meris contingentibus, cur certa dicatur providentia?* pag. 42. 43. 45. Moras nectis Gatakere. Senſus ſatis ſe ipſum

pſum detegit. Tibi tantum deerat quod reſponderes. Controverſia quæ decidenda proponitur], incerta, dubia, & indeterminata eſt; eventus caſualis cui ſoli, juxta te, dijudicanda & determinanda offertur, ad eundem modum res incerta, dubia, indeterminata eſt. Hinc concludit Ameſius, quod ab ea re judicium exſpectari non poſſit; ſed à Dei determinante providentia exſpectari debeat; Tu quid opponis? quid excipis?

Imo, inquis, *de re mere contingente reſpectu noſtri, poteſtatem judicium ferendi poteſt habere creatura.* Quid? an etiam creatura, aut res æque contingens, dubia, incerta, rationis expers? At hoc eſt principium petere. Contrarium docet argumentum Ameſii. Nihil poteſt dare quod non habet. Patet *in ſorte qua ad chartarum ſitum provocatur, ab alio prius conſulto diſpoſitarum, controverſiæ noſtræ futuræ tum neſcio pag.* 44. Reſp. 1. Num hinc patet rem dubiam & indeterminatam aliud dubium decidere poſſe? Atqui ipſe ſitum illum chartarum rem determinatam eſſe ſupponis. *Nam præterita in neceſſitatem quandam tranſeunt.* Thom. 1. 11æ. qu. xlix. a. 6. in c. Sic pag. 36. dixeras *quidni*, deciſio dubii, *bove peti poſſit, qui eam jam determinavit?* Et pag. 37. *Quæritur frequenter per*

actum

actum in ſeſe determinatum, uti ad chartarum, temere aut conſulto ab alio quopiam relictarum, ſitum. Hoc ergo præter rem dicis. 2. Tales ſortes, ubi ad præteritum provocatur; revera divinatoriæ ſunt. Aut actiones irrationales & ſtultæ. 3. Ergo nihil adhuc ad argumentum quatenus ſortibus communibus opponitur reſpondiſti; ubi dubium dubio manifeſte decidendum offertur. Imo. 4. quorumque in caſu ad ſortem recurritur, eventus conſideratur ut ratione cauſarum ſecundarum plane contingens Nullâ ratione, nullo judicio ad hanc partem declinans: quæque non magis hoc dubium determinare poteſt, quam ſe ipſam. Ergo neceſſe eſt ut ad Deum, ejuſque præcurſum, & directionem appelletur.

Sed, ait, *videatur an non iſta providentiam Dei ſingularem in mere contingentibus quibuſque denuo ſtatuant, quod ſuperius repudiabatur.* pag. 46. Reſp. 1. Statuitur tantum ſortientes in ſorte huic actui providentiæ dubium ſuum decidendum debere offerre. Quod ſatis cuique patet. 2. In aliis contingentiis neque quæritur, neque ponitur, ſpecialis directio rei caſualis, in talem finem, *dubii deciſionem*, ad obligationem utriuſque contendentium.

Etiam *in duello de exitu judicium ferendi poteſtatem habet divina duntaxat providentia:*

tia: Ergo & in duello exitus à Dei providentia ſingulariter exſpectatur. Reſp. 1. Hoc ſupra negaſti, cum nobis objiceres, *equus paratur ad prælium* &c. confer pag. 14. & 56. 2. In duello contendentes, judicio, viribus, arte utuntur; ſortientes non. 3. Exitus duelli à Diabolo exſpectari debet, à Deo, ejuſque ſpeciali benedictione non poteſt. De ſorte ſcriptum eſt, *ſors in gremium conjicitur, ſed omne ejus judicium à Domino eſt.* Idem nullibi de duello legitur. 4. Veriſſimum tamen eſt, duello contendentes exitum plerumque à ſpeciali Dei directione petere, ut is ita declaret, uter juſtam cauſam habeat, uter injuſtam.

Pergit Ameſius §. 11. in confirmatione argumenti. *Mera contingentia non poteſt rationem cauſæ principalis habere in quæſtione aliqua dirimenda: Neque homo eventum mere caſualem dirigere poteſt.* Atque ideo nec ipſe cauſa principalis fieri, *Neceſſe ergo eſt ut talis directio à ſuperiore aliquo directore exſpectetur.*

Reſpondet, *Poteſt mera contingentia cauſa inſtrumentalis eſſe quæſtionis decidendæ, dum à contendentibus eo fine eligitur; principalis etiam, poſtquam ex conſenſu mutuo ad eam fuerit provocatum.* pag. 47. Reſp. 1. Contingentiam eo ſine *eligere*, ad contingentiam *provocare* eſt. Dum ergo

eligi-

eligitur fit *inſtrumentalis*, dum eligitur fit *principalis*. Num ſana hæc videntur? 2. Contingentia mera eligi poteſt ut cauſa inſtrumentalis inquis; recte inquam, reſpectu Dei, ut inſtrumentum quo Deus utitur: quoniam in Dei manu eſt, eam ſic, aut oppoſito modo, dirigere. Aſt ratione hominis ut inſtrumentalis ſpectari non poteſt; quoniam homo ea ut inſtrumento uti non poteſt. Quod ſi vero in reſpectu ad Deum ut inſtrumentalis eligatur, tum principalis deciſor Deus conſtituitur. 3. Homo ipſe in determinatione iſta, cauſa principalis eſſe nequit; num ergo is alium judicio, poteſtate, & modo operandi, ſe minorem cauſam principalem facere poſſet? 4. Si contingentia ipſa cauſa principalis hic fiat, tum ne quidem providentia communis hic ſpectabitur. Atque ita plane ad caſum & fortunam provocatur. *Nos te, nos facimus fortuna Deam cæloque locamus.*

Sufficit, inquit, *ſi homo ad eam controverſiam ſuam rejecerit* pag. 48. Reſp. Sufficit id ut eventus, in reſpectu ad directionem Dei, ut inſtrumentum conſideretur; non ſufficit ut ſors ſolitaria cauſa conſtituatur. Nec id aliter quam profanè fieri poteſt. *Quia ut ſortes caſu ſic, vel ſic cadunt, nihil præſignare poſſunt*, nec etiam determinare,

nare. Leſſius de Jure & Juſtit. lib. II. cap. XLIII. dub. IX. pag. 649.

In quibusdam ſortibus eam etiam homo dirigit, ut in manu vel vacua vel inſtructa eligenda, ubi par impar luditur. Reſp. 1. Aſt hoc ad divinatorias ſortes pertinet, quas ipſe improbas. 2. Quid eſt quod hic homo determinet? quod ipſe dicat *par*, vel *impar*? Aſt id ſortem non facit. Sortem facit contractus innominatus, ſi tu divinaveris, teneamne ego par vel impar manu meâ, tum hoc tuum erit. Aſt alter hoc ſine ſingulari directione divina non magis divinare poteſt, quam quis ſit futurus Papa Romanus. Dum ergo illud conatur divinare, petit reipſa ſpecialem aſſiſtentiam Dei. Viden Gatakere quam parum id tibi proſit? tam parum ut hinc etiam concludi poſſit, poſtulari ut ſors ſingulariter dirigatur à Deo. Tenentur ergo ſortientes regimen illud Dei exſpectare, aut ſorte abutuntur.

VI. Argumentum continetur §. 12. quod à comparatione petitur, hoc modo. *Homines cum dubium aliquod determinari cupiunt, & ipſi certa media in ſua poteſtate non habent, ſolent refugere ad ſuperiorem cauſam.* Atqui ſortientes dubium determinari cupiunt, & ipſi in poteſtate certa media non habent. Ergo. Non multum differt magni *Junii* argumentum, *in Jonæ*

cap.

cap. 1. *pag.* 953. *Sortitionis religionem ex comparatione demonſtramus, hoc modo: Quæcunque dubia ſunt aut per controvertentes dirimuntur judiciorum forma; aut per unum ex controvertentibus juris jurandi religione; aut denique per autoritatem Dei religione ſortis.*

Reſpondet Gataker, *Qui ſortiuntur habent in poteſtate medium aliquod, ſortem nimirum ipſam* pag.49. Reſp. Belle; habent ſortem ut *medium*, utuntur ea ut medio. Sed eo ipſo quod ſortem ut medium accipiunt, ad Deum tanquam ad Principem directorem confugiunt, & reſpiciunt. Hæc ergo exceptio cauſam Gatakeri evertit.

Velim, inquit, *ſortis licitæ exemplum dari, in qua controverſia quæ ſorti committitur, nullâ aliâ ratione poterat definiri.* Reſp. 1. Sors ad vitandas lites, ut juramentum, inſtituta eſt, Prov. xvi ii. 18. Ubi ergo in rebus adiaphoris media minus certa ſunt, ad ſortem recurrere conceſſum eſt. 2. Quod ſi dubium per alia media commode definiri poſſit, ad ſortem fugere non licet. *Cum enim aliâ ratione vel lumine naturali, vel verbo Domini, fieri de aliqua re certiores poſſumus, non eſt Dei voluntas inveſtiganda ſortibus*, inquit Rivetus ad Decal. iii. præc. pag. 1297. quod ex Zanchio de-

deſumtum eſt Tract. de divin. pag. 16. b. Ita Bellarminus: *Sortibus autem uti, cum humano conſilio res tranſigi poteſt, nullo modo licet.* De Clericis. lib. 1. cap. v. pag. 307. Sed 3. ſortientes ſaltem opinantur quod alia media dirimendi controverſias ad manum non ſint; uti memini mihi ab aurigis & nautis reſponſum, quod alioqui lites & jurgia ſine numero, ſine fine, oriantur. Ipſis ergo judicibus ad ſupremum & ἀναπὀλεκτον judicem hic recurritur.

VII. Argumentum ex §. 13. deſumi poteſt. *Homo cauſa rationalis, conſilio utens, non poteſt ſe ſubjicere fortunæ & caſui, rationis expertibus.* Quoniam ea actio irrationalis eſſet. Et profecto homines ſorte jactâ non ita acquieſcerent, niſi Deum ſpeciali modo ſortem ita dirigere perſuaſum haberent. Optime hic Maccovius Loc. Com. cap. xlvi. pag. 442. *Quod dicit*, totum judicium ejus à Domino eſſe, *eo indicat tam eſſe à Deo quod hic rejectus ſit, quam quod ille ſit electus: tam eſſe à Deo quod unus ad mortem & ſuſpendium adjudicetur, quam quod alter à morte abſolvatur. N. B. Et ob eam cauſam, tam hinc peti argumentum, Deum laudandi, quam illinc placidè, & æquè ferendi, quicquid Deus ſorte ſtatuerit.*

Objicit Gataker pag. 50. *Illa ſi vera eſ-*

ſent

ſent evincerent non poſſe ſortientes ipſos cum conſilio agant, à mera contingentia deciſionem exſpectare, & neceſſe eſſe ut ipſi etiam aliunde exſpectent. Quod omne nos veriſſimum eſſe ſcimus. Tenentur ſortientes, ſi ſapere velint, deciſionem dubii à Deo, regente ſortem, exſpectare. *Aſt hoc ab autore ipſo ſuperius rejectum,* ait. Reſp. Cur locum non indicat? Dixit equidem §. 9. Ameſius, *ſortientes non ſemper talem providentiam ſpectare;* Sed non addidit eos ſpectare non teneri; & eo ipſo quod id non agant, ſorte non abuti. Exſpectare omnino debuiſſent, *ut judicium ſortis à Domino* procederet.

Negat deinde *hominem conſilio agentem actionem ſuam caſui ſubjicere non poſſe.* probat Ameſius, *quia conſilium eſſet ſine cognitione.* Neque enim vel judicio, vel poteſtate, vel autoritate, eventus caſualis ſupra hominem eſt, aut homini par eſt. Imo nullo planè judicio ſe in alterutram partem inclinare ſupponitur. Caſum ergo illum ſequi non magis rationale eſſet, quam ſi ego Simiam rogem, *quo tendatur ad curiam*: aut eam ducem ſequar, Romam ſi petere cupiam. Quod hominem non decet. Nam omnis actio quæ à ratione non ducitur, ea ſtultitia, homine indigna eſt. Aſt ſubjicere ſe irrationali caſui, id vagum errorem

torem ſequi foret. Ubi *rationes jacent, judicium ſilet.* Plaut Amphit. Act. iv. Sc ii. v. ult. Imo, inquit, *ſortientes agunt conſilio, cognoſcunt quod agunt, controverſiam de actione futura, ad contingentiam meram referunt.* Reſp. Hoc tantundem eſt ac ſi dixiſſet, data opera inſaniunt. Nam ſi inſani ſit, ſequi irrationalem ducem; tam data opera inſanit, quiſquis eum ſequendi conſilium init.

Satis nunc ad defenſionem piæ veritatis, atque ejuſdem amantiſſimi Ameſii, adverſus nugas Gatakeri dictum hic foret; placet tamen objectionem unam atque alteram ex majori libro adjicere.

1. Obj. *Si in quavis ſorte neceſſariò ſit immediata Dei providentia, tum in poteſtate hominis eſt efficere ut Deus operetur immediatè ad placitum ſuum* Gatak. de nat. Sortis cap. vii. pag. 184. Reſp. 1. Grande abſurdum! Si in precibus petatur ſpecialis Dei providentia, tum in poteſtate hominis eſt, efficere ut Deus operetur ſpeciali modo. Si in peccatis requiratur providentia permiſſiva, tum in poteſtate hominis eſt efficere ut Deus peccata permittat. Imo ſi in omni opere immediatus requiratur præcurſus; tum eſt in poteſtate hominis efficere ut Deus operetur immediatè. Idem in uſu Sacramentorum urgeri poſſet. Sed 2. non dici-

dicimus hic eſſe immediatam providentiam ratione omnium quæ ſic fiunt, ſed immediatum præcurſum, & ſpecialem directionem, quâ Deus rem in ſe contingentem eò dirigit, quò cauſæ ſecundæ eam dirigere non valent; ut ſcilicet ita exeat ſors. V. G. cadat ſuper Matthiam. 3. Deus nec operatur, nec cooperatur cum creatura, niſi velit. Manet ergo ubique cauſa prima, excitans creaturam, & concurrens cum eadem.

Obj. 2. *Quis non videt quod ſitus ſortis hoc aut illo modo ordinariè veniat immediatè ab actione creaturæ.* Reſp. Id Ameſius non videt, & multi cum ipſo. Nam 1. idem quod creatura hic agit, agit etiam in ſorte divinatoria & ſacra, ubi tamen ſpecialem Dei actionem agnoſcit autor cap. x. & x1. 2. Ratione creaturæ omnia contingenter eveniunt. Et quod eo modo, non oppoſito, ſors exeat, id non à judicio, directione, aut intentione cauſæ ſecundæ, ſed primæ. Quæ omnia ita regit, ut ita ſors exeat quomodo ipſe conſultum duxit.

Objicit *in luſu par impar talem providentiam non eſſe.* Sed de iſtâ divinatione jam actum.

C CAP.

C A P. IV.

An alea ſit ſortitio.

SED aliud hic nos bellum manet. Si in alea ſors foret, aleam alii condemnarent; ſed ſortem in ea non inveniunt. Bellum id nobis Rex Angliæ movet, *dono Regio lib.* III. *pag.* 70. Want zy zijn daar in bedrogen/ dat zy haar argument fonderen op eenen qualijk genomen gront; 'twelck is dat het ſpelen met zulke dingen / is een zoorte van lot werpen / ende daarom ongeoorloft. Waar in zy haar zelven bedriegen. Latinum exemplar ad manum non eſt. Cum Rege ſtat ſolus, quod ſciam, Joſephus Medus: *De alea* προβληματιον *inſtruo, quam multi ſortitionis damnant; mihi non videtur damnanda.* Diſſert. Triga pag. 79. Nos id verbo demonſtremus.

1. Arg. Scriptura ſacra aleam ſortitionem habet Epheſ. IV. 14. περιφερόμενοι ἐν τῇ κυβείᾳ τῶν ἀνθρώπων. *circumducti per aleam hominum*: κυβείαν aleam notare nemo, ut opinor, negabit. Alea qui vincuntur, illi alea ut ſorte circumferuntur; & ſequi coguntur quocunque alea ſeſe flexerit. Monet

ergo

ergo Apoſtolus ne homines ſicut alea, nos ſicut aleæ ſubjecti ſimus, qui ſequamur quocunque illi velut alea aberrarint. Alea ergo pro ſorte ponitur. Beza in notis : *In alea hominum. Id eſt incertis illis caſibus quibus jactantur homines. Græcis enim certum eſt* κυβείαν *dici quam Latini aleam vocant : quod nomen tranſlatitie de quibusvis incerti eventus rebus dicitur. Ut nulla magis fuerit appoſita metaphora ſignificandæ hominum deſultoriæ levitati.* Neque aleæ meminiſſet Apoſtolus, niſi inſtabiles illos & fortuitos ſortientium caſus indigitare voluiſſet. *Quorum levitatem* κυβείαν *eleganter dicit. Semper enim* κύβος *variat cum jacitur. Nam ut nihil alea incertius, ita nihil horum doctrina mutabilius.* Heinſ. Exerc. Sac. pag. 465. Paulò aliter Vatablus, & Ravanel in voce Alea. *Qui metaphoram ab aleatoribus* eſſe ajunt, *inter quos multæ ſunt fallendi artes.* Sicut & Interpretes noſtri notant : Ongeſtadigheyt. *Gr.* teerlingh, ofte teerlingh-ſpel **Waar door de Apoſtel de bedriegeryen van zoodanige menſchen verſtaat.** &c. Apoſtolus autem non tantum ad *fallacias* ipſas reſpexit ; ſed *aleam* ut medium produxit, quo aleatores colluſores ſuos, ſi incauti eſſent, fallerent. Hinc fallendi artes ab alea diſtinctè enumerat. Quantacunque

C 2 ergo

ergo à parte fallentium ars adhibeatur, illi tamen qui alea falluntur, velut ſorte, & fortuitis alearum caſibus ſeducuntur. Atque hoc eſt quod in metaphora ſua conſiderat Apoſtolus, non debere nos ſine judicio circumferri, ſicut aleatores per ſortem aleæ circumferuntur. Ponit ergo Apoſt. ſortem in alea.

Ita & tunica inconſutilis Chriſti alea quibuſdam videtur diviſa. *Dixerunt ergo inter ſe ne ſindamus eam, ſed ſortiamur de illa cujus futura ſit.* Joh. XIX. 24. Nam milites illi Romani erant, apud quos talorum & teſſerarum uſus frequens erat. Neque veriſimile videtur eos iſtic atramentum & chartam ſecum habuiſſe; & nomina ſua in galeam conjeciſſe. Aut virgulis notas impreſſiſſe, & eas in urnam conjeciſſe. Ut illius eſſet tunica, cujus bacillus ex urna primus educeretur. Crediderim potius eos, ut hodiè Judæi, teſſeram pro ſuo *vade mecum* habuiſſe. *Cum jam eum in crucem egiſſent; alea ſuper veſtes ejus luſerunt, & inter ſe partiti ſunt eas*, inquit Rivetus in pſal. XXII. 19. pag. 119. Citat Gataker Pancirollum affirmantem tunicam alicui obtigiſſe *non talorum aut aleæ jactu, ut vulgus opinatur: & aliud eſſe ſortitionem, aliud talorum vel aleæ luſum.* Sed ipſe Pancirollum de ſorte ludicra videtur explicare;

hinc

hinc addit; *Alioqui enim & aleæ luſum ſortitionem quandam eſſe certiſſimum eſt.* pag. 218. Henricus Salmuth qui notas ad Pancirollum ſcripſit, quomodo id capiat verbo non indicavit. Parte I. Tit. XLIV. Quicquid opinatus Pancirollus fuerit, nos cum Gatakero aleam ſortem quandam, aut quendam ſortis abuſum, eſſe, certiſſimè tenemus, & præterea probamus.

II. Arg. Aut ars alea eſt, aut ſors eſt: Sed ars non eſt; Sors igitur ut ſit neceſſe eſt. *Ludi alii ſunt artis & induſtriæ, alii fortunæ, alii denique mixti.* Perkinſ. Caſ. Conſc. lib. III. cap. IV. pag 1673. Sic Taſſin. de emendat. lib. II. cap. XIX. pag. 156. Zoo moeten wy bedencken datter ſpelen zijn/ dewelcke beſtaan in oeffeninge des lighaams: Andere in behendigheyt des verſtants. andere ſpelen de welke op avontuer ſtaan; als daar is het ſpel des teerlinks. *Aleæ nomine venit omnis luſus, qui magis fortuna aut caſu, quam arte dirigitur; qualis eſt teſſerarum, alearum, chartarum.* Similiter & J. C. Zutphen: Het is een generale concluſie/ dat het ſpelen na rechten is verboden; ende deze concluſie heeft plaats niet alleen daar de fortuyn alleen regeert/ maar oock daar het verſtant met de

fortuyn verſeert. Dan daar het verſtant / ofte ſterckheyt / alleen verſeert / zoodanigh ſpel is geoorloft. *Pract. in voce* ſpel. Et vero quod nec ratione, nec viribus naturæ dirigitur, id caſu & ſorte vexatur, & verſatur. Sic ipſe Autor doni Regii; troef-ſpelen / dobbelen / ende andere zulke ſpelen van haſart. Iterum pag. 71. Want belangende het teerling-ſpel / zijnde alleenlijk geregeert door 't haſart. Eſt ergo in alea abuſus ſortis.

III. Arg. Eſt in alea deciſio controverſiæ per judicem ſuperiorem, aut ſaltem re ipsâ petitur, æquè ac in ſorte diviſoriâ. Projiciuntur in tabulam nummi, quæritur cujus ſint futuri; non judicium, non ars, ſed ſors in alea quæſtionem determinat. Contendentes ſeſe aleæ ut ſorti ſubjiciunt, bonis ſuis cedunt, nec verbulo contradicunt. Eſt ergo illic ſors, *quæ contentiones dirimit inter robuſtos.* Nummi enim non fiunt alterius, ex liberali donatione, neque jure emtionis, neque victoria judicii aut virium, ſed ſolâ ſorte. Sors ergo in alea.

IV. Si alea ſors non foret, nullo unquam in caſu jactus aleæ ſors fieri poſſet. Neque cum ad dividendam hæreditatem, neque cum ad liberandos, V. G. ex decem, quinque reos à morte, adhibetur, ſortitio fieri poſſet. Imo ne quidem cum quis ea ad divina-

vinationem abuteretur ſors dici poſſet. Nam quod aleâ in hac aut illa materia utaris, id naturam ejus non mutat, nec ſortis naturam dat, aut aufert. Sors diviſoria & judicialis non minus ſors eſt, quam divinatoria Jud. XIV. Prov. XVI. 33. & XVIII. 18. Si ergo alea, ad dividendos in ludo nummos adhibita, ſors non ſit; nec ſors erit, ſi vel in judicio reus, vel in diviſione patrimonii hæredes, vel in divinatione ſortiarius, eâ utatur. Quod tamen falſum apertè eſt.

1. Obj. Het lot wierd gebruykt om de waarheyt te onderzoeken in eenige duyſtere zaken &c Don. Reg. ibid. Reſp. 1. Etiam in diviſione bonorum, Joſuæ XIV. &c. officiorum 1 Chron. XXIV. & alibi. 2. Dubia etiam hic quædam veritas; quis ſit futurus exitus, & cujus futuri ſint nummi. Eſt ergo hic ſors quanquam non divinatoria.

2. Obj. Zoo moeten dan ook alle wet-ſpelen op onzekerheden insgelyks verdoemt wezen. Reſp. Illi omnes in quibus data opera adhibetur ſors: ſive ea in totum regnet; ſive ex parte. Vide Zutphen ad arg. 2.

3. Obj. *Cui non valde abſonum videtur: Deum in actionibus levibus, & nullius fere momenti rebus, ſpeciali & immediata potentia*

tentiâ agere? Joſ. Medus pag. 85. Reſp. 1. Immediata & mediata potentia in gradu fortitudinis, & virium in agendo, non differunt. Æquè ergo objici poterat, cui non abſonum videtur Deum omnipotentiam adhibere in creanda muſca? 2. Si immediatæ potentiæ actus dicetur is, in quo ſolius Dei actio reperitur, non hic ratione totius operis immediatam potentiam, aut providentiam urgemus, ſed directionem ſpecialem. 3. Quanquam in re levi ſpecialis providentia forte non ſit, poteſt tamen ejus præſentia in re levi peti. *Levi & vano* juramento ſpecialem Dei providentiam, & ſingularem præſentiam peti, quis ignorat? quis dubitat? quis negat? Similem planè objectionem refutat Zanchius. Deus *moderatur pias ſortes.* An etiam *illas quas impii projiciunt? ego non video*, inquit, *cur non poßit dici moderari etiam has impiorum ſortes ad eum finem quem vult.* 1. *Sententia Salomonis univerſalis eſt.* 2. *Sic temperavit ſortes nautarum impiorum,* 3. *An non corda impiorum flectit quo vult?* &c. Tom. VII. p. II. pag. 204.

4. Obj. *Ergo & violat tertium præceptum ſi quis pilos in tonſtrina excuſſerit; aut arboribus folia in autumno. Nam quod pili hoc aut illo modo cadant id fortuitum eſt.* ibid. Reſp. 1. Dicebas Mede ſortem in alea

lea non eſſe, & jam theſin tuam evertis: ſi fortuitum in illis rebus ſit, tum & in alea. Quod mox etiam concedis. Si fortuitum in alea, tum ſors in alea. Cum enim re ipsâ à Deo petitur, ut ad deciſionem contro-verſiæ caſum fortuitum ita regat ut ipſi optimum viſum eſt, tum fortuitum ſors fit. Itaque 2. in pilorum excuſſione tertium præceptum non violatur, quoniam illic non exſpectatur ut Deus fortuitum illud pro beneplacito ſuo regat, ad decidendam controverſiam noſtram.

5. Obj. *Aleæ jactus gubernatur à cauſis ſecundis & ordinariis. Si quæras quare hoc jactu venus cecidit, illo canis; Nimirum luſor hâc vice teſſellam alio latere arripuit, aliter manu condidit, aliter intus agitavit, &c.* Reſp. 1. Cur id patri ſuo Jonathan, idemque Jonas nautis non repoſuit? Nam eadem omnia etiam in ſorte divinatoria locum habuere. 2. Neſcis Romanos, ut omnem manuum directionem tollerent, talos in fritillum, aut turriculam, conjeciſſe? Hinc turricula apud Martial. loquitur lib. XIV. Epig. XVI.

Quærit compoſitos manus improba mittere talos,
Si per me miſit, nil niſi vota facit.

Sed 3. quod luſor ita talos arripiat, ita agitet, num idcirco id facit, quod ſibi per-

ſuadeat eo facto certiſſime ſe venerem jacturum? nihil minus; ſorti adhuc omnia committit. Imo illa caſualia ſunt, & omnis illa cauſarum ſecundarum opera fortuito tantum concurrit ad productionem talis effecti. Quod ergo ita inflet aura, talus ita in alveum impingat, id & contingens eſt, & contingenter tale producit effectum. Sed eadem objectio jam ad præcedens caput refutata.

6. Obj. *Non eſt hic numinis invocatio.* Reſp. 1. Id vitium ſortientium eſt. Homines in levibus juramentis etiam ſæpè de Diabolo magis, quam de Deo cogitant; haud ideo tamen verum eſſe deſinit; quicunque juramentum præſtare vult, Deum invocare tenetur. 2. Eſt tamen invocatio realis, uti ſupra diximus, ſi non verbalis; Ita Iſraëlitæ Exod. XXXII. 5. verbis quidem Diabolum non invocabant, *cras feſtum erit Jehovæ*, re ipsâ tamen Diabolo ſerviebant.

7. Objectio. *Qui ſortes miſſuri ſunt ad Dei arbitrium provocant, ut is pro libitu ſuo faciat, & quo velit modo pro ſapientia diſponat. At vero luſor non ſinit eſſe Deo liberum ut faciat quod velit: ſed certum quid petit; ſibi ſoli jactum felicem.* Medus ibid. Reſp. 1. Si luſor libertati Dei ſortem dirigere non relinquit, iterum eo peccat; 2. Fa-

2. Facit tamen id quod nec ipſe, nec præter Deum, quiſpiam dirigere certo poteſt. Atque ideo, velit nolit, omnem ſortis diſpoſitionem Dei libertati relinquere cogitur; Fatente Medo: ergo ſors in alea reperitur. Luſor vovet, optat, attamen efficere quidquam non poteſt ut alea ſibi fauſta exeat: Cogitur ergo aleæ exitum Deo relinquere. 3. Unde & à quo, oro te Mede, jactum ſibi felicem petit? An à fortuna? id profanum eſt. An à Diabolo? id abominandum eſt. An à Deo? non vides ergo quod diſpoſitionem ſortis Deo relinquat? Ita Martyr: *Dicere eas à fortuna temperari vanum eſt: à Dæmonibus ſuperſtitioſum: à cælo aut ab aſtris ridiculum. Reguntur ergo à Deo.* Loc. commun. pag. 26. b. 4. Quid Mede? num votum naturam ſortis evertere tibi videtur? neſcis tu quot vota, quot preces, in ſorte Ethnici effuderint.

ſortemque meam voviſtis Achivi.
Et veſtræ valuere preces.

Ovid. Metam. lib. XIII. v. 88. 89. Ita ille apud Plautum, poſtquam dictum eſſet, *jace pater talos*, vovebat, *te Philenium mihi, atque uxori mortem*. Plautus Aſinaria Act. V. Sc. II. Atque in Captiv. iterum Act. . Sc. I *Amator talos cum jacet, ſcortum invocat.* In Curculione Act. II. Sc. III: *Talos arripio*

pio, invoco almam meam nutricem Herculem. Sex centa poſſem ejuſmodi proferre. Sed §. quid? modo, quia deerant preces, deerat votum, alea ſors non erat; nunc quia eadem adſunt, ſors iterum non eſt. Ita tu ex ſorte non ſortem, & ex non ſorte ſortem finges pro libitu tuo.

CAP. V.

De Sorte Ludicra.

QUandoquidem jam, velut per parentheſin, diſcuſſimus ea quæ à latere objiciebantur, ad demonſtrandum *nullam in alea ſortem inveniri*; iterum ad Gatakerum redibimus, eidemque nos pro Ameſio ſiſtemus. Theſi XVII. inchoat Ameſius diſputationem de ſorte ludicra. Atque ibi ſententiam ſuam proponit, quam non tam argumentis probat, quam quidem ab exceptionibus & objectionibus vindicat. Monendum id unum hic eſt quod Ameſius §. 30. habet: *Aleæ nomine omnes ludos comprehendi*, qui mera contingentia nituntur, *etiamſi poſtea ingenio & arte dirigantur.* Juxta illud Comici. Terent. Adelph. Act. IV. Sc. VII.

Ita vita eſt hominum, quaſi cum ludas teſſeris.
Si illud quod eſt maxime opus jactu non cadit,
Illud quod cecidit ſorte, id ut arte corrigas.

Aleam inde nomen ſuum habere ait Iſidorus, quod ab homine cui Alea nomen erat inventa ſit. *Alea, id eſt ludus tabulæ, inventa à Græcis in ocio Trojani belli à quodam milite nomine Alea, à quo & ars nomen accepit.* Originum lib. XVIII cap. lx. pag. 1281. Hodie tamen mos obtinet, ut pro quovis ludo qui ſorte nititur, & cui data opera ſors præpoſita eſt, ſumatur. Contra hunc ſortis abuſum argumenta quædam adaggerari poſſent, ſed animus non eſt novum de ſorte tractatum conſcribere, aut Ameſii terminos excedere. Videndum tamen quæ implicaverit argumenta Ameſius.

1. Arg. Fundamenti loco poni debet, quod eſt §. 19. Quia Sors *naturalem quandam aptitudinem habet ad providentiam divinam ſingulari modo conſulendam; fieri enim non poteſt ut una & eadem actio ſua naturâ ſingulariter apta ſit ad uſum tam ſacrum, & ludis tamen & jocis ſimul accomodata.* Ita concluſit Danæus de Alea Cap. IX. pag. 220. Quod eâ ratione *quo-*

dammodo Dei providentiæ illudimus, ejuſque maximis teſtimoniis & effectis, qualis eſt ſors ipſa. Idem argumentum & Lutherus luſoribus oppoſuit: *Equidem exiſtimo miſſionem ſortis eſſe opus fidei, quo tamen ex libidine, aut pravo affectu aliqui abutuntur nonnunquam, ut multi abutuntur juramento* &c. Tom. IV. in cap. I. Jonæ apud Zanchium de divin. per ſortes pag. 15. Quod ſingularis quidam & immediatus providentiæ divinæ actus in ſorte reperiatur, Cap. III. docuimus. Quod autem nefas ſit tali re ludere, & jocosè, abſque numinis reverentia, illa ſacra tractare, ita demonſtratur. I. Nefas eſt per ludum & jocum precari; & abſque humilitate, reverentia, attentione animi à Deo quidquam petere. *Joh.* IV. 24. *Jacobi* V. 16. *Jeſ.* XXVI. 13. Similiter ergo nefas eſt jocosè, & abſque reverentia erga Deum, ſortem adhibere. Nam in ſorte reipſa à Deo petitur dubii determinatio, & ad hoc immediatus providentiæ actus, ac ſpecialis directio. Adeo ut ſortitio ſit *realis* Dei invocatio; σὺ κύριε καρδιογνῶστα ἀνάδειξον, *tu Domine ſcrutator cordium oſtende nobis. Act.* I. Uti hoc ſupra probavimus. Sors ergo profanè, & irreverenter tractari non debet. Nam æquale peccatum eſt, Deum *factis & geſtibus* ludere, quale *verbis.* Si mihi non liceat per

jocum *verbis* à Deo quidquam petere, certè nec id licet *geſtibus* facere. Quodſi alea ludentes horreant per jocum tales preces concipere : *Domine Deus , hic ego neque arte , neque viribus obtinere queo quod animus cupit ; tu igitur, qui ſolus potes , omnipotenti manu , immediato præcurſu , ſingulari directione , aleam ita dirige , ut victor abeam.* Quodſi , inquam , execrandum exiſtiment , tales preces per jocum effundere; quomodo ſortem per jocum adhibere poſſunt ? Nam Chriſtianus negare non debet quod re ipsâ in ſorte petatur ut *Deus* eventum talem det. Id eſt ſingulari directione id agat , quod homo nec arte , nec viribus poteſt. Negare ergo non poteſt, quod reipſa in ſorte petatur idem illud , quod præcedenti precatiunculâ expreſſum eſt ; atque ideo quod impium ſit ſortem per ludum & jocum irreverenter adhibere. 2. Nefas eſt per ludum & jocum ſacra , & res religionis , tractare. *Act.* 11. 13. *Heb.* x11. 16. *Gal.* v1. 7. Non ergo etiam fas eſt per ludum & jocum tractare id , quod inſtitutum eſt ad voluntatem divinam in re dubia ſingulari modo conſulendam. Nam id *ſacrum* dici , & haberi debet. Quippe quod ad ſpecialem uſum circa Deum ſeparatum eſt ; ac proinde ſanctum. *Sanctitatem relativam definio, particularitatem rei adverſus Deum , à*

certo præſentiæ ipſius, aut dominii modo, inquit Joſ. Medus Diſſ. Eccl. Triga pag. 2. Cum enim Deus Majeſtas infinitè ſanctiſſima ſit, aliter quam ſanctè tractari non debet, quod ad uſum erga ipſum ſeparatum eſt; ſeu quod inſtitutum, ut eo voluntas ipſius moralis conſulatur. 3. Juramento, eapſe de cauſa, per ludum & jocum abuti non licet, quoniam in eo ſpecialis providentiæ divinæ actus petitur: ſcilicet benedictio aut maledictio, *tam vere juvet me Deus*. Ergo nec ſorte. Quanquam enim in ſorte non eadem in ſpecie res petatur, benedictio aut maledictio: petitur tamen immediatus ejuſdem providentię actus, & ſingularis directio; atque ab his ut plurimum ſpecialis benedictio. Petit ludens ut Deus ſortem ita dirigat, ut ipſe victor evadat, colluſor victus cadat. Aſt hoc ſi per ludum & jocum facere liceat, ſane nihil eſt cur non in juramento jocosè benedictionem petat. Atque hæc ſufficient ad conſequentiam Ameſii confirmandam. Videamus quid excipiat Gataker.

1. *Nihil*, inquit, *impedit quo minus una eademque actio ſingulariter ſit apta, & ad providentiam divinam ſingulari modo conſulendam, & ad ludum etiam jocumque exercendum* pag. 62. Sed fallit lectorem Gataker. Ameſius eam ait ſortem *ex natura*

tura ſua ad hoc aptam eſſe, hanc *eſſe naturam* ſortis, ſignificare vult, ut ſit *petitio auxilii divini.* Gataker vero per *aptitudinem* potentiam & habitudinem tantum intelligit. Quod ſcilicet ad eum finem adhiberi poſſit. Uti patet ex inſtantiis. *Inſtantias quærimus? occurrunt. Habent inſomnia naturalem in ſe aptitudinem ad patefaciendam hominibus ſingulari modo divinam voluntatem.* Reſp. Et hæc inſomnia ſunt Gatakeri. Inſomniis non petitur ſpeciale Dei judicium aut auxilium; inſomniis nihil ſpeciale committitur Deo; inſomnia Deo proponi ad voluntatem inquirendam non poſſunt; inſomniorum talis, & talis forma ab operatione animæ eſt, ejuſque tum poteſtate, tum judicio. *Somnium prodit ex multa occupatione*, inquit Salomon Eccleſ. V. 3. Eſtque *in multitudine eorum multa vanitas.* v. 7. Atque inde vetuit Deus ſomnia obſervare, aut ex iis quidquam prædicere. Lev. XIX 26. Deut. XIII. 1, 2, 3, 4, 5. Jer. XXIII. 26 27 32. Zach. X 2.

Somnia ne cures, nam mens humana
quod optat,
Dum vigilat, ſperat: cum dormit
cernit id ipſum

Quæ ergo ſomniorum cum ſorte convenientia? Quæ ſomniorum naturalium ad inquirendam voluntatem divinam diſpoſitio?

tio? Et cur magis diſpoſita exiſtimari debent inſomnia, ad patefaciendam hominibus voluntatem divinam, quam cogitationes ſubito de die incidentes? Sed forte autor *ſomnia divinitus immiſſa* intelligit: quomodo ſe Deus πολυμερῶς & πολυτρόπως olim manifeſtavit. Aſt tum vaniſſima exceptio foret. Nam & talia ſomnia in materiam riſus & joci pervertere, æquè impium foret, ac Deum ridere, ac ſorte abuti. Concludo igitur, divinatio per ſomnia naturalia prohibita eſt, non deciſio controverſiæ per ſortem; ſomnia etiam ſupra cogitationes alias aptitudinem nullam habent ad patefaciendam voluntatem divinam, & quantumvis *apta* forent fieri medium patefaciendi extraordinaria Dei oracula, non hæc tamen eorum natura eſt, quod *ſint oracula divina*; uti ſortium eſt, quod *petitiones* ſint.

Ne longius abeamus; in caſualibus eventis utrumque iſtud deprehendi, non certiſſimum tantum, ſed & clariſſimum exiſtit. Aptitudinem habere ſingularem ad providentiam divinam ſingulari modo patefaciendam. Ad ludum autem jocumque nihil magis idoneum. Reſp. 1. Euge, tandem in caſibus aliquid ſpeciale! cur ergo urgebas in ſorte non niſi cauſas naturales cum communi providentia eſſe? 2. An fortuita ſingularem

apti-

aptitudinem habent ad divinationes? & per modum divinationis de rebus futuris Deum conſulendi? Non ſane. Quid enim jactus canis cum clade Pompei? quid jactus Veneris cum victoria Cæſaris. Imo alterutrum exinde conjicere, conſentiente Gatakero, nefas eſt. Habent ergo ſingularem aptitudinem ad conſulendam providentiam Dei moralem, per determinationem in illis realem. Cum ergo homines ita contrahunt; *ad quem declinaverit ſors, ejus erunt hi nummi.* An non vides quod hic actu Deum conſulant? Tantundem enim eſt ac ſi dicant; *eſt hic exitus in ſe mere indifferens, quem proinde à Deo hoc vel illo modo determinari oportet: ſi igitur per manum Dei ſors deducatur ad te, id indicium nobis erit, quod velit tuos eſſe hos nummos; ſin ad me, quod meos eſſe velit.* Nonne ergo hic manifeſte actualis conſultatio divina eſt? Videturne etiam adhuc fas eam rem materiam ludi conſtituere? 3. Aliud eſt ſi quis caſus præter opinionem actiones hominum turbet; V.G. ſi pila impingat ad lapillum, & feriat aſtantem canem, felem, aut prætervolantem hirundinem; aliud ſi *data opera* ſors adhibeatur. Prius materiam riſus quandoque ſuppeditat; poſterius nec poteſt, nec debet.

2. Excipit deinde ſortem non habere illam

lam naturam ad providentiam divinam ſingulari modo conſulendam. Sed de eo jam capite 3. actum eſt.

3. Quærit *unde habeat ſors naturam iſtam, quam ei affinxit Ameſius*, & quærit *an à mera contingentia pag*, 66. Reſp. De eo jam cap. 3. actum. Concurrunt hic 1. natura materiæ, *res indifferens*. 2. Contractus hominum, quod exitus controverſiam determinabit. 3. Præcurſus & directio ſortis, eo, quo nec judicium nec poteſtas hominis eam dirigere valet. 4. Miſſio ſortis in eum finem, ut ad controverſiam dirimendam ita dirigatur. 5. Conceſſio divina, qua homini ita voluntatem ſuam conſulere permiſit Lev. XVI. Prov. XVI. & XVIII. Act. 1. Et hinc jam colligat Gataker unde illam naturam ſors habeat.

II. Alterum argumentum à ludi natura petitur §. XVII. Ludus res alicujus momenti non eſt, ſed *levicula & ludicra*. Atqui ſors in rebus adeo levibus adhiberi non debet. Conceſſa enim eſt ad *controverſias inter robuſtos dirimendas*; *Sors contentiones ceſſare facit, & inter fortes dividit.* Arias Montanus addit; *& inter lites fortes dividit.* Nam verbum hebræum diſceptationes publicas, & vehementes videtur indicare. Derivatur enim à דין quod eſt *judicare*, & in *judicio*, aut *publice, diſceptare*. Jer. XXII.

16.

16. confer Prov. vi.14.19. & xix. 13. Interpretes Noſtri addunt: *fortes*. i, e. Die zich verharden / ſtercken / ofte machtigh maken in haar geſchil tegen elkanderen: ofte die machts genoech hebben om malkanderen te beſchadigen / zooze niet vereenight en worden. Et Prophetam ad ejuſmodi contentiones reſpicere, etiam ex verſu ſeq. 19. apparet; *frater*, contendens, *urbe munita* durior eſt; *& contentiones horum ſunt ut vectis arcis.* Deus ergo ſortem inſtituit, ut eæ controverſiæ diſſiparentur, ex quibus alioqui pugnæ, cædes, ſimiliaque mala metuuntur: non uti malitia hominis eam in materiam luſus perverteret. *Nam ſortes non niſi magna cum reverentia uſurpandæ ſunt; quia immediate à Deo diſponuntur, & earum genuinus uſus eſt, ut deſerviant deciſioni litium maximarum.* Prov. xvi. 33. & xviii. 18. inquit Perkinſ. Expl. in Decal. pag. 879. Ita & Tilenus; *Sortibus diviſoriis pie & religioſe uti licet, quandoquidem eundem fere præſtant uſum quem legitima juramenta, nempe ut prohibeantur certamina, & controverſiæ abrumpantur.* Tilen. Synt. parte 1. Diſp. xxxvi. Sect. 1. §. 32. Ita Rivetus inter conditiones ſortium tertiam ponit: *Ut ad ſortes non recurramus niſi in rebus gravioribus & alicujus magni momenti; cum ſortibus*

tibus tribuatur judicium, ſedeatque Deus per ſortes in judicio. Quemadmodum per Jethronem conſuluit, ut, cauſis levioribus ab aliis judicibus dijudicatis, Moſis cognitioni difficiles reſervarentur; ſic inſtituit, ut quæ nulla cujuſquam ingenii vi cauſa cognoſci poſſet, adſe per ſortis judicium deferretur. Rivet in Decal. præc. III. pag. 1296. b. Neque id præteriit Zanchius loco ſæpe dicto: *Peccant ergo qui pro quavis re leviſſima, vel etjam turpi ſortiuntur. Niſi enim res ſint quæ ad gloriam Dei, vel ad ædificationem eccleſiæ, vel denique ad fraternam charitatem faciant, de illis ſortiendum non eſt.* Certe Deus nullibi conceſſit ſortis uſum in rebus ludicris & ſumme levibus; non magis quam uſum precum in comædiis, & tragædiis. Sortis uſus, nullo reclamante, deſcribitur Prov. XVIII. 18. *Dirimit controverſias.* Atqui illic non in re levi, ad luſum & jocum conceditur; ſed in controverſia majoris alicujus momenti, controverſia *inter robuſtos.* Quæ quantumvis ob pretium materiæ forte tanta non ſit; ob eos tamen, qui metuuntur, fructus, tanta eſt, ut propterea ad ſortem confugere neceſſe ſit, & per ſortem ad Deum. Quemadmodum & in juramento; pretium materiæ, ob quam poſtulatur juramentum, quandoque non eſt ingens adeò, ut exinde ruina contendentium pendeat.

deat. Exod. xxii. 8. 11. Quum tamen leviori ea de re gravis contentio oritur, tandem ad juramentum recurritur. Nam è re levi ſæpe gravis controverſia oritur. Ita ſe res habet in ſorte. Sors medium ultimum, & extraordinarium eſt, quo præſcinduntur, aut extinguuntur lites. Idque per interventum autoritatis divinæ. Deus tunc decidit controverſiam, docetque quid fieri velit; *omne judicium ejus à Deo.* Aſt in luſu nulla gravis controverſia eſt. Nulla hic controverſia, niſi quæ data opera fingitur; quæ fingitur, ea injuſte fingitur; quæ ficta eſt, majori cum injuſtitia per ſortem conſopitur. Quaſi Deum oporteat inter ludentes arbitrum & deciſorem intercedere. Et quod ſummum eſt, ipſa illa Dei interceſſio & deciſio in materiam luſus pervertitur. Ipſa ſors ludum conſtituit, aut pars ejus maxima eſt. Quod vere actionibus Dei ludere eſt. Sufficere deberet homini quod ſuæ ſibi conceſſæ ſint in luſum actiones. Dei ſui *actionibus* ludere, non magis permiſſum videtur, quam Dei *actiones* ludere. Neque, verum fatear, video cur magis conceſſum haberi debeat actionibus, quam nomine Dei ludere. Actiones Dei inferioris Majeſtatis non ſunt, quam eſt nomen ejus. Horat. in Arte Poet. pag. 272.

Nec Deus interſit niſi nodus vindice dignus
Inciderit.

Major in Deo majeſtas eſt; & divinorum reverentia apud homines eſſe debet, quam ut ejus actionibus, qua ejus actiones ſunt, profane ludant. Plaut. Amphit. Prologus.

Nam me perpetuo facere ut ſit Comœdia,
Reges quo veniant, & Dii, non par arbitror.

Neque dicas mihi, quod, illa ſi admittantur, non unquam ludere liceret; quoniam cum quavis actione Deus concurrit. Non enim affirmo quod concurrente Deo ludere non liceat; ſed quod concurſus Dei reverentiæ magis, quam luſus materiam, præbeat. Adeo ut neſas futurum ſit, vel actione Dei, qua Dei, ludere; vel immediatum Dei præcurſum, & ſpecialem directionem, in materiam riſus, luſus, & joci pervertere. *Unde ſortis ſive conſultoriæ, ſive diſtributivæ, in ſacris literis uſus ſacer, qui temerari non debet, nec ad luſus profanos applicari*, inquit Celeb. Spanhemius Dub. Euang. parte II. dub. XV. pag. 224. Sed nihil hic excipit Gataker, niſi quod hæc prioribus nitantur, *quæ poſita tantum, non & probata ſunt.* pag. 58. Reſp. Et hæc per ſe ſtant, & priora probata ſatis ſuperque ſunt; Gatakeri nihil habent quo conſiſtant, nec quo probentur.

III. Arg. Ex hac ſortis definitur §. XVIII. quod ſcil non quidem ſors *ſine ſpeciali revelatione adhibenda ſit ad divinandum & conſultandum de jure, neque ordinarie de facto præterito; ſed de futura diviſione, aut electione utrinque licita, quæ aliter non poteſt commode ita determinari, ut illi quorum intereſt acquieſcere velint.* Vis rationis in eo eſt; Sors non eſt adhibenda niſi cum res aliter commode determinari non poteſt. Aſt in ludo res nulla eſt quę determinari neceſſe habet. Si animi cauſa ludatur, tum dubium determinet judicium & a s; ſi in pecuniam, tum multo magis neceſſe eſt ut res arte determinetur. *Nam ſenatus conſultum vetuit in pecuniam ludere, præterquam ſi quis certet haſta, vel pila jacienda, vel currendo, ſaliendo, luctando, pugnando, quod virtutis cauſa fiat,* ff tit. de aleat. l 2. §. Senatus conſul. Danæus integro capite oſtendit, *in nullo genere ludi, homini Chriſtiano licere pecunia ludere* de alea cap. II. Excipit cap. III. eaſdem illas *Exercitationes publicas*, quibus præmia nonnunquam à Magiſtratu præficiuntur. Nam ut cives, & milites ad officia ſua habeamus aptiores; magiſtratui licet eos præmiis quibuſdam ad exercitia talia excitare. *quiſquis virum illum percuſſerit, eum ditabit Rex & filiam ſuam dabit ei.* I. Sam. XVII. 25. Sed ad ludum

ubi in pecuniam luditur, & alterutri quod ſuum eſt injuſto medio eripitur, neceſſe non eſt homines præmiis invitare. Præſtat eos pœnarum minis ab ejuſmodi morum corruptelis deterreri. Adeo ut in hoc argumento adverſus abuſum ſortis in ludo rationum copia ſit.

1. Sors mitti non debet, niſi ubi ferveſcit controverſia & contentio; aut ſaltem metus eſt, ne, per homines deciſione factâ, exoriantur lites. Atqui hic nulla controverſia, nulla ratio controverſiæ eſt. Paciſcuntur hic homines, & contractum ineunt, de eo unde poſtea lites, & certamina oriri poſſent? Aſt pactum hoc per ſe illegitimum & impium eſt. Nam hoc vere eſt controverſiam fingere, & litium occaſiones quærere. Quod fieri non debet. *Prov.* VI. 14. 19. *&* XVI. 28. II. Tim. II. 24. *Nuda* hæc conventio bonis moribus contraria; ac proinde nec contrahentem obligat, ut ea ſtet, nec judicem ut lites inde ortas audiat. *Totum illud aleatorum negotium pugnare dicitur cum juſtitia commutativa, & verbo Dei.* Schotan. Exam. Jurid. tit. de aleat. Quum ergo in ludo nulla controverſia ante miſſam ſortem ſit, certè peccat quiſquis ad ludum ſortem trahit, eâque abutitur.

2. Sors inſtituta eſt, non ut *faciat* controverſias; ſed ut factas diſſipet. Atqui hic

hic controverſia nulla eſt; niſi quam ſors ipſa, per malitiam hominum, exſuſcitat. Is omnino ſorte abutitur, qui eam, quæ ad *extinguendas lites* inſtituta eſt, *litium fontem* facit. In ludo vero controverſiæ, ſi quæ ſint, ex ipſa ſorte oriuntur. Sors ſi eidem ſæpius adverſa ceciderit, hinc iræ, hinc jurgia, hinc & aliquando pugnæ. Atque hæ ſolæ ſunt in ludo controverſiæ. Diſceptatur hic etiam cujus futuri ſint hi nummi. Sed hæc controverſia vere non eſt; quoniam quiſque tollere tenetur eam partem, quam contulit. Et ſi qua foret, eum etiam in finem excitata eſt, ut per ſortem dirimatur. Quod directè contra inſtitutionem divinam eſt. Deus enim ſortem; terminum, non principium, controverſiarum dedit. Et profectò horrendum videtur, eo fine controverſiam aliquam aut comminiſci, aut facere, ut Deus eam per ſortem dirimat. Quid Majeſtatem Dei vilipendere eſt, ſi hoc non eſt?

3. Sors mitti non debet, niſi ubi controverſiam determinari fas, & æquum eſt. Atqui controverſia in ludo, aut quod decidendum ſorti committitur, omnino decidi non debet. Nemo de collatis nummis dicere poteſt; ſunto hi nummi Petri, non Pauli. Non magis quam Pauli nummos Petro donare po-

teſt. Luſus juſtum medium non eſt, vel bona ſibi comparandi, vel bonis cedendi. Quare collati in ludo nummi huic dari, illi eripi, non debent. Nec ergo ſors eum in finem mitti. Homines bona ſua dilapidare non debent: nec aut eo fine ludere, aut ſortem eo fine adhibere, ut alteri ſua eripiant. Neque alter bona ſua luſu perdere. *Qui ſuis non proſpicit fidem abnegavit*, inquit Apoſt. 1 Tim. V. 8. Et Salomon ob eandem cauſam faciles iſtos *Sponſores* increpat. Prov. VI. 1. XI. 15. XVII. 18. Hoc vere eſt abjicere bona quæ Deus largitus eſt, contra Prov. XVIII. 9 & XXI. 17. 20 Luc. XV. 14. Hinc *jus civile & ludentes, & luſum ſpectantes, pecuniamque iis eum in finem mutuantes; & etiam ludentem docentes, eâdem quâ aleatores pœnâ vult affici.* Marant. *parte* VI. *tit. de Juram. n.* 46. Et omnis alearum ludus, præſertim ſi in pecuniam ludatur, jure civili interdictus eſt. *Non tantum ſi poſita pecunia ludatur; ſed & ſi, quod maxime notandum, poſitis lupinis, argento comico, in vicem pecuniæ veræ, poſtea perſolvendæ Victori.* Cujac. Parat. in C. h. t. Eſt ergo hic controverſia, aut quaſi, quam decidi fas non eſt. Atque ideo peccant etiam qui deciſionem ejus per ſortem à Deo petunt.

4. Sors decidendarum controverſiarum

ultimum medium eſt; ad quam eæ devolvuntur controverſiæ, quæ aliis mediis dirimi commode non poſſunt. Aſt ſi qua in ludo exiſtimari poſſet exiſtere controverſia, ea per homines dirimi poteſt; & dirimi vix ullo negotio. Jubeatur quiſque partem quam contulit nummorum tollere; & deciſa erit controverſia. Jubeantur omnes legibus parere, & à luſu in pecuniam abſcedere, & præciſa erit controverſia. Si contendens queratur, victum, quod promiſit, ſolvere non velle; reſpondeatur; *victum in aleæ luſu non poſſe conveniri.* C. lib. III. tit. de aleat. *Præterea qui alea ludo victus eſt, ſolvere non cogitur.* Pacius in Iſag. h. t. Si queratur, ipſum tamen promiſiſſe ſolutionem: reſpondeatur, *Carolus Quintus in Hiſpania irritavit fidem ſuper aleæ ludo præſtitam; pecuniamque exinde promiſſam peti poſſe noluit.* Pereſ. in Cod. h. t. n. 7. Si queratur injuriam ſibi factam, fraudem interceſſiſſe: reſpondeatur, *quod aleatoribus mulcta injuriarum nulla debeatur.* Weſemb parat. h. t. num. I. Si alter queratur perdidiſſe ſe ingentem ſummam: reſpondeatur, *ſi ſolverit, habere repetitionem, tam ipſum, quam hæredes ejus adverſus victorem & ejus hæredes: idque perpetuo: & poſt triginta annos.* C. lib. III. h. t. Si dicat reſponſum ſe ferre,

 hoc

hoc obtinere jure Romano, *conſuetudinem hodie excuſare luſores aleæ, ut non teneantur ad reſtitutionem.* Vinnius ad Weſemb. parat. h. t. Reſpondeatur, *id ideo fortaſſe fieri, quia circa aleæ luſum utriuſque partis turpitudo vexatur.* Groenew. de leg. abrog. ff. h. t. Atque ideo hanc hodie ipſius pœnam eſſe, quod à turpi ludo non abſtinuerit. Ad eum modum omnes, quotquot hic naſcuntur controverſiæ, per homines diſſipari poſſunt; nulla eſt quæ auxilium ſortium, & in iis Dei, indigeat. Illud autem dubium, ob quod ſortes hic adhibentur, ſcilicet *uter in ludo victor futurus ſit*, manifeſtè adeo determinari neceſſe non habet, ut ne vir gravis quidem; etiam vocatus, id determinaturus ſit. Quæ lex, quæ charitas, quæ ſalus reipublicæ, poſtulat hunc in ludo aleæ victorem conſtitui, illum victum diſcedere? Nonne præſtat ludo ut uterque abſtineat? Certe ad cujusvis probi hominis judicium hic provocare audeo. Quæſo ergo, an ad eam controverſiam dirimendam ſors adhibebitur, & per ſortem Deus, quam dirimi neceſſe non eſt? imo non determinari præſtaret? Quid inſtitutioni divinæ, quid gravitati, quid religioni ſortium, magis contrarium eſſe poteſt? quam ſortem adhiberi ubi nihil neceſſe eſt? ſortem adhiberi

hiberi in controverſia, quam ne quidem audiri præſtaret? Sed tandem quid ad hæc Gataker?

Ille priori parti Ameſianæ theſeos ſeſe primo objicit, eumque concludentem fingit: *Quoniam ſors reſpectum habet ad providentiam ſingularem, igitur in iis caſibus adhiberi non debet, in quibus ſingulari providentiâ opus eſſet.* pag. 59. Reſp. Quorſum hæc tua Gatakere impoſtura? Concluſit Ameſius; quoniam ſors ordinarie ſingularem moralem Dei providentiam reſpiciat, quod inde ad divinandum adhiberi non poſſit; niſi declaret Deus velle ſe poſthac ſpeciale quid peragere. Nam homo eam providentiam per ſortem tantum conſulere poteſt, quam Deus per ſortem conſuli vult. Cum igitur ſibi ſoli arcanos rerum eventus reſervet, non poteſt homo eoſdem per ſortem ſciſcitari; niſi Deus eoſdem ſpecialiter revelare voluerit. Similiter nec *de jure*, virtute aut vitio, Deum per ſortem conſulere poteſt; quoniam materia ſortis res adiaphora eſt, An hæc non ſatis ſana videntur Gatakero?

Quid opus, inquit, *ſingulari providentiâ in merce diſtribuenda, vel hæreditate cernenda, ubi quam fieri poteſt exiſtit utrimque æqualitas?* ibid. Reſp. Ideo opus eſt, quia ſupereſt adhuc inæqualitas. Nam *tunc*

ſorti res permittitur cum non ita æquari partes potuerint, ut una non ſit optabilior altera. Joh. Gerhardi in paſſ. cap. xiv. pagin. 169. b.

Quare quæſo, inquit, *ſi ſortes ſint divina oracula, non ad ſortes Chriſtiani nunc prout olim ad Urim & Thummim Judæi, ſe conferunt, de factis præteritis, deque jure incerto, numen divinum conſulturi. pag* 60. Reſp. Quoniam ſortes oracula duntaxat moralia ſunt; indicantia quid Deus in re adiaphora nos facere poſtulet, non quid ipſe futurum decreverit.

Quæ iſta ſubtilitas, inquit, *non eſſe ordinariè, & ſine ſpeciali revelatione adhibendam ſortem ad divinandum, neque ad conſultandum de jure, neque ordinarie de facto præterito: quaſi*, inquit, *de facto præterito etiam citra revelationem, licet non ordinarie, ſortem mittere liceat.* pag. 61. Reſp. Quæ iſtæ nugæ pueriles? quæ ſors *ordinarie* mitti poteſt, ea *citra revelationem ſpecialem* mitti poteſt: quæ *ordinarie* non poteſt; ea tum mitti poteſt, cum *ſpecialis* adeſt *revelatio.* Æquivalent hic extraordinarie & cum revelatione, ordinarie & citra revelationem.

Ut ne adjiciam, inquit, *in eis etiam quæ permittuntur iſtic ſortem miſſam divinatoriam videri &c.* Reſp. Divinatoria tantum

ea

ea ſors, quæ eo fine mittitur, ut exquiratur ſententia divina de phyſica alicujus rei exiſtentia; nobis occulta.

IV. Quartum & poſtremum Ameſii argumentum §. 32. & ſeq. continetur. Eſtque deſumtum ab effectis & fructibus hujus ludi. Fructus illi ſex numerari poſſunt, qui tum Theologos, tum Juriſconſultos moverunt, ut ludum aleæ eliminarent.

1. *Execrationes & blaſphemiæ* ex iſto oriuntur ludo. *Homines ex luſu aleæ concitari ſolent ad dejerationes, execrationes, & blaſphemias*, inquit Ameſius. Atque hoc vulgare adeo ut vix unquam ludentes cernas, quin & execrantes cum horrore audias. Cum enim homines nullis ſuſpiriis, nullis votis, ſortem, aut fortunam (quam propterea ſurdam & cœcam gentes fingebant) flecti vident, directorem ſortis invidum ſibi & malevolum credunt. Et hinc execrantur eum, quem ſibi male velle exiſtimant. *Poſtremo ſeptima hujus ludi damnandi ratio eſt, quod ſacroſancti Dei nominis blaſphemiæ teterrimæ, excandeſcentiæ maledicentiſſimæ, Diaboli invocationes fœdiſſimæ, Dei ipſius abnegationes horrendæ, in alea frequentiſſimæ inſunt, adeout iis pene nunquam careat.* Danæus de alea cap. IX. pag. 221. Ita & JCti Weſemb. Parat. tit. de aleat. n. 1. *Cum deterrimum ſit*

 prodi-

prodigalitatis inſtrumentum alea, qua complures per inconſultam temeritatem ad inopiam redacti Deo maledicunt, & graviora facinora nonnunquam aggrediuntur, merito & hoc providendum fuit, ne ludo tam noxio ullâ ratione indulgeretur. Sic Perez in Cod. h. t. *Prohibitionis ratio duplex redditur ab Imperatore, cum quia multi die noctuque ludendo ſubſtantias ſuas perdant, & familiam ad inopiam redigant; tum quia in ludo perdentes blaſphemare Deum conentur.* Furoris hujus cauſæ ex natura ludi hæ fluunt.

1. Quod nullo jure directorem ſortis ſibi magis adverſari, quam colluſori exiſtimant. Hic ſibi non magis hanc iniquitatem atque iſte adverſarius videtur meruiſſe. Si verè pœna foret, ab irato numine ad meritum immiſſa, ferri deberet: ſed directorem ſortis, nullo jure, nullâ ratione, motum, quaſi per ludum & jocum adverſari; hoc iram, hoc maledicta extorquet.

Dii quos experior nimium conſtanter iniquos.

Ovid. Triſt. l. 3. Eleg. 2. *Nunc crudele fatum ita compoſuit.* Seneca de Conſol. ad Helv. c, xv. & xvi. pag. 122. *flentibus, & fatum ita execrantibus.*

2. Quia nullis precibus directorem ſortis flecti vident. Homines, ſi quem ſuperiorem ſibi iratum, adverſumque ſentiunt, eum ___ cibus placare ſtudent.

Seu

Sit placanda, tuis poterit miteſcere verbis.

Tibul. lib. IV. in princ. Quodſi cernant incaſſum verba ſe fundere, mox ad execrationes incitantur.

Equidem nec ulla cœlites placo prece;
Nec, ſi velint ſævire, quo noceant habent.
Fortuna vires ipſa conſumpſit ſuas.

Seneca Agamem. Act. III. v. 685.-- præterea

3. Augetur idem malum, ubi ſæpius directorem ſortis reluctari ſibi ſentiunt. Cum mutantur vices, & hic nunc vincitur, nunc vincit; tum ſortem ſibi adverſam leviori quandoque animo fert: aſt ubi continuo ſuperari ſe cernit; directorem ſortis calamitate ſuâ delectari opinatur, vexandique animo ſortem continuo adverſam dare. Hinc tum querelæ:

Quis tam impotens, ac dirus, &
inique ferus
Sortitor urnæ?

Hinc tum horrendiſſimæ execrationes & blaſphemiæ.

4. Accedit quod colluſor calamitatem noſtram hilari animo adſpiciat, eamque rideat; utpote ſibi commodam, & reſpondentem voto.

5. Videt ſe nullâ arte vinci, neque ullâ arte victoriam recuperari poſſe. Arte cum quis imperitiam ſuam culpat, ſtultitiam increpat quod cum tali hoſte congreſſus fuerit. Et quamdiu ſpes ſupereſt, fieri poſſe ut arte qui nunc depulſus & victus jacet, ſimili arte reſurgat & ſuperior exiſtat, tamen diu ſors illa æquiori animo toleratur. Sed ubi quis neque imperitia artis ſe vinci animadveuit, neque ullâ ſolertiâ vincere ſe poſſe; omnia à Deo per ſortem regi tum queritur.

... nec te tua culpa fugavit;
Sed Deus: offenſo pulſus es urbe Deo.
Nec meriti pœnam pateris, ſed numinis iram.

Ovid. Faſtorum lib. 1. pag. 16. Hæc ſimiliaque ut plurimum luſores ad diras illas & execrationes propellunt.

Talia quod in aleæ ludo perpetrentur negare non poteſt Gataker. Reſpondet ergo; *provenire id ex cordis pravitate, ac mentis errore pag* 87. Sed repono 1. Proveniebat etiam ex pravitate cordis quod ad blanditias muliebres pelliceretur ille juvenis Prov. VII. Oritur ex eodem fonte, quod ad irritationem excitetur furor. Eph. VI. 4. Quod ad conſpectum nuditatis excitetur libido II. Sam. XI. 2 3. Non tamen peccare deſinit, quiſquis igni, data opera, talia fomenta objicit. Regula eſto;

quiſquis

quiſquis præter ullam neceſſitatem corruptæ hominum naturæ tale objectum offert, ad quod vel ſemper labitur, vel ut plurimum, is cæco offendiculum præbet. Levit. XIX. 14. Sed 2 Oſtendimus quomodo, ſuppoſitâ jam corruptione humanâ, ex ludi hujus natura effecta talia per ſe fluant.

Reſpondet deinde *non eſſe perpetuum & neceſſarium, ut ita commoveantur, qui in ludis iſtis animi cauſa verſantur.* Reſp. perpetuo ſi talia effecta non compareant; id non ludi naturæ, ſed refrenanti adſcribendum gratiæ eſt. Virtutum media non idcirco bona eſſe deſinunt, quod ob hominum malitiam non perpetuo effecta producant. Marc. VI. 5. Neque peccatorum media idcirco mala eſſe deſinunt, quod ob virtutem hominis non continuo effecta ſua proferant. Impiæ erant illæ in Joſephum machinæ Gen. XXXIX. nihil tamen in ipſius animum potuêre. Alearum ille ludus aptus natus eſt producere talia effecta; atque etiam producit quoties diſpoſitum objectum invenit. *Ab hac arte fraus & mendacium, atque perjurium nunquam abeſt.* Iſidorus Orig. l. XVIII, cap. LXVIII. pag. 1284. Hic primus ludi fructus, ſequitur ſecundus.

II. Speel-ziekte / ingens ille in ludendo fervor, & inextinctum ludi deſiderium. Unde fit, *quod hujuſmodi ludis finem,*

nem, aut modum, imponere ægre poſſunt, inquit Ameſius. Notavit idem hoc M. Epiſcopius. Quæſt. xlii. Oper. parte ii. p. 45. *Vix fieri poteſt ut non incaleſcant ludentes, atque ita ludus ludum continuo trahat.* Sueton. cap. lxxi. in Aug. *Inter cœnam luſimus γεροντικῶς & heri, & hodie. Luſimus enim per omnes dies, focumque aleatorium calefecimus.* Hinc Juvenali alea pernox dicitur; *ſi luditur alea pernox.* Sat. viii. verſ. 10. Alibi canit, Sat. xiv. v. 4.

Si damnoſa ſenem juvat alea, ludit
& heres.
Bullatus

Atque idcirco Imperator lege cavere debuit, *ne quis alicui aleæ ludendæ cauſa vim inferret*. ff. tit. de aleat. l. 1. Sæpè enim homines in tantum incaleſcunt, ut colluſores, vel invitos, ludere cogant. Idque præſertim ſi majorem ſummam perdiderint. Hinc lex ſtatuenda fuit. Als den eenen ſpeelder van ſijn mede-ſpeelder eenigh gelt gewonnen heeft / soo en is hy niet gehouden langer te ſpelen / dan mach met het gewonnen gelt van het ſpel deſiſteren als het hem belieft; ende mach den verlieſer het zelve niet beletten. Zutphen pract. in voce Spel. Multæ iſtius fervoris cauſæ notari poſſent, quæ ipſam hujus ludi naturam iſtius intem-

intemperiæ originem facilè oſtendunt.

1. Non arte, non viribus, qui vincuntur, vinci ſe vident; ſed ſorte. Quod ſi vel ob propriam imbecillitatem, vel ob ſtuporem animi, & inſcitiam, ſuperari ſe animadverterent, cum fortiori aleam non committerent, Sed vident ita omnia ſorte regi, ut infelix jactus etiam verſatiſſimo victoriam eripiat, ignaviſſimo largiatur. *Hinc*, inquit Ameſius, *nullam rationem habent de ſorte ſua deſperàndi.* Vertumnus alea eſt, facile hoſpitem deſerit. **Omne enim quod fortuito evenit, inſtabile eſt: quo altius ſurrexit, opportunius eſt in caſum.* Sen. de Brev. vitæ cap. XVII. pag. 319. Atque is qui vincitur canere fere ſolet;

ſic fata Deum rex
Sortitur, volvitque vices: & vertitur ordo.

Virg. Æneid. lib. III. pag. 170. Hinc adagium: **Het kan verkeeren.** Dum ergo qui vincitur exſpectat ſi ſors vertatur, qui vincit, ſortem quo cepit pede pergere poſſe opinatur, neuter ludendi finem facere deſiderat.

2. Non *fatigantur* ab hoc labore ludentes; non franguntur vires, non obtunditur ingenium, non hæret memoria, non nauſeat animus. Quæque aliis exercitiis finem imponere vel cogunt, vel ſuadent, ea omnia

omnia hic in perpetuo vigore perſiſtunt: Neque quidquam eſt quod laſſitudine ſuâ requiem ſuadeat. *Sponte ſua feſtinat opus, nulloque labore.* Suppeditat hanc rationem inſignis Theologus Danæus de alea cap. IX. *Unde neque ſibi ſatisfaciunt unquam, & quo magis magiſque luſerint, eo quoque fiunt iſtius ludi cupidiores, quoniam neque corporis, neque animi exercitatio, & laſſatio in hoc miſero, inertique otio percipitur.*

3. Uterque ab inſatiabili nummorum amore extimulatur; idque eo magis, quo penitius ſeſe in otioſum hunc ludum implicat. Non enim, uti poſtea monebimus, vel animi vel corporis reficiendi cauſa ludus alea inſtituitur; ſed lucri ſpe & amore. Is amor in ipſo opere magis magiſque creſcit, & *vires acquirit eundo.* Qui ſua infelici jactu perdidit, is omnia illa recuperare vehementiſſimè deſiderat: adeo ut plerumque ne volenti quidem colluſori à ludo diſcedere concedat. Sua ſeſe tantum non abjeciſſe videt. Pro nummis non refert quidquam, niſi iram, mœrorem, invidiam. Quæ ei tanti non ſunt, ut non pluris faciat theſaurum ſuum. Nequit ergo ſeſe in tantum abnegare, ut non ſua relata cupiat. Qui vero victor exiſtit, ſat cito deſiſtere ſe cenſet, ſimul ut eadem, quæ nullo ſudore vicit,

vicit, infauſtis jactibus perdiderit. Quum vero ſpes ſuperſit, fieri poſſe ut eâdem favente alea plura lucretur, hinc non facilè movetur ut ludendi finem faciat. Egregie Calvinus epiſtola ad N. N. pag 342. in fol. *Aleæ enim & quas chartas vocant, ut ad ſuperſtitiones non pertinuerint, ſed aliorum vitiorum fuerint inſtrumenta, multum quoque damni & malorum paſſim intulerunt. -- Primum non eſt aliud uſpiam quod ita homines quaſi viſco impediat, adeo ut totos eorum ſenſus occupet, non ſecus ac faſcino correptos.* Plura non adſcribo.

4. Accedit tandem deſertio Dei, qua eos, qui neque providentiæ divinæ, neque temporis, neque bonorum, ullam rationem habent, in reprobum ſenſum tradit, & cupiditatibus ſuis dedit. Unde etiam vulgo notum eſt, hanc eſſe ſpecialem aleæ maledictionem, quod luſores ſibi vix, ac ne vix quidem, temperare queant. Dediti fuere Romani propriis cordium cupiditatibus, cum veritatem per injuſtitiam, ſupprimerent, atque Deum ne quidem pro modulo notitiæ colere vellent. Rom. 1. 18. Neque mirandum ergo, neque injuſtum videri debet, ſi & cupiditatibus dedantur illi, qui luſoriâ ſorte proximo ſua eripere non verentur. Quique ne tantilla quidem Dei ducuntur reverentia, ut in medio blaſphe-

ſphemiarum, ſuarumque execrationum, Deum per ſortem arbitrum vocare non horreant; arbitrum in ea re; quæ & divinis legibus, & humanis ſtatutis, bonorumque judicio proſcripta jacet; *in ludo aleæ*! in aleæ ludo inquam, quo non aliud quæritur, niſi ut per ſummum ſcelus proximo bona ſua eripiantur. Jure merito Deus eos tradiderit, ut illorum

- - - mentes cæcus inſtiget furor;
Rabies parentum duret, & longum
nefas
Eat in nepotes. Nec vacet cuiquam
vetus
Odiſſe crimen, ſemper oriatur no-
vum:
Nec unum in uno: dumque punitur
ſcelus
Creſcat. Sen. Thyeſt. v. 27.

111. Tertia hujus ludi proles eſt *inutilis tranſactio temporis.* Quâ luſores bonas illas horas miſere profundunt, & vitam ſilentio tranſeunt veluti pecora, *& ſi nihil eſſet aliud quod nos abſterreret à ludis, obſecro id perpendamus, quanta ſit penuria temporis. Tot officia requirit à nobis lex divina, ut ne tota quidem vita ſit perſolvendo: & tamen collocabimus tempus in ludis?* Martyr. Loc. Com. Claſſe 11. cap. XII. pag. 280. Neceſſe non eſt ut nunc dies noctesque ludentes ſpecte-

ſpectemus, & Auguſtum glorian tem audiamus; *luſimus & heri, & hodie, & per omnes dies.* Eas tantum conſideremus horas, quas iſti ludendo perdunt. Nullæ unquam inutilius periere horæ, quam quæ in iſtoc ludo. Nam neque eo refocillatur corpus, neque priſtino vigori reſtituitur ingenium, neque ulla ars bona comparari poteſt, in quantum ibi dominatur ſors. Concedatur etiam quidquam mundana ſubtilitas hic excipere poſſet; certe id nemo negarit, quod in quantum illic ſors eſt, neque animo, neque corpori inde quidquam accedat lucri. Ars verò, quæ in quibuſdam hujuſcemodi ludis reperitur, nulli uſui inſervit, præterquam ipſi ludo. Atque adeo non magis abſolvi poteſt, quam aut Scenica, aut ſaltatoria ars. Quid igitur in toto illo apparatu invenitur, præter infrugifera tenebrarum opera, & tempus miſere, atque inutiliter defluxum? *Simul ad temporis jacturam ventum eſt, profuſiſſimi in eo, cujus unius honeſta avaritia eſt.* Seneca de Brev. vitæ cap. 11 1. p. 300. Certè inter omnia hominum negotia nihil eſt cui minus temporis impendi debeat, quam recreationi & ludo. *Redimendum tempus eſt*, ut accuratè ambulemus. Eph v. 16. Hinc ſæpiſſimè jubemur *ſobrii & temperantes* eſſe; idque vitando *delicias & cupiditates mundanas*

1 Theſſ.

1 Theſſ. V. 6. 1 1. Timoth. 1. 7. Tit. 1 1. 6. 1 2. 1 1 Pet. 1 1. 1 3. Atqui hæ ſunt mundanæ deliciæ, & delectationes infrugiferæ. Eccleſ. 1 1. 2. Qui quæſo, & quales iſtoc ludo oblectari ſeſe ſolent? Nonne mundani ſunt, & qui hâc notâ publice noti ſunt? Num ſolent Eccleſiarum Antiſtites, & viri pii in iſtoc opere deprehendi? Clericis ex Jure Canonico ne quidem *ludentes inſpicere* conceſſum erat. *Epiſcopus autem, Presbyter aut Diaconus, aleæ & ebrietati deſervientes, aut deſinant, aut certè damnentur. Subdiaconus autem, lector aut cantor ſimilia faciens, aut deſinat, aut communione privetur: ſimiliter & Laicus.* Jus Canon. Diſt. xxxv. Homines plerique leves & mundani ſunt, qui mundanis hiſce levitatibus delectantur. Ubi verò, & quando ad haſce delicias recurritur? Nonne cauponæ, & meribibarum latibula, loca ſunt, ubi hæc arma tractantur? Quis ergo negare queat mundanas has eſſe delicias? quibus Deus vilipenditur, ſalus negligitur, fama maculatur, & tempus inutiliter perditur? Ludovicus IX. Galliarum Rex latrunculorum ludum etiam prohibuit, quod ei plus nimium temporis indulgeri cerneret. *Wiſſembach. Diſ.* xx 1 1 1. §. 19. Similiter & Angliæ Rex Jacobus, ob operoſas in iſtoc ludo nugas, vocat eum **een overwijze en**

Philo=

Philoſophiſche zotheyt. Don Reg: l. 1 1 r. pag 71. Et quæ alearum ludi cum iſto convenientia eſt? Ibi ſola ars, hic ſors, ibi ars ad ſtructuram aciei docendam inventa, hic ad amittendum tempus, & dilapidanda bona; ibi animus brevi ſaturatur, hic cottidie, & quoties inveniri poteſt occaſio, ad idem prælium recurritur. *Non ita à natura generati ſumus, ut ad ludum & jocum facti eſſe videamur: ſed ad ſeveritatem potius, & ad quædam ſtudia graviora, atque majora. Ludo autem & joco uti illis quidem licet: ſed ſicut ſomno & quietibus cæteris, tum cum gravibus ſeriiſque rebus ſatisfecerimus. - - Ludendi etiam eſt quidam modus retinendus, ut ne nimis omnia profundamus, elatique voluptate in aliquam turpitudinem delabamur.* Cicero Offic. lib 1. pag. m. 2062. Thomas 2. 2æ qu. clxviii. a 2. Utinam hæc meditentur illi qui ita tempore *re omnium pratioſiſſimâ* ludunt! Seneca de Brev. vitæ cap. viii

Quid hoc ad ſortis, de qua lis eſt, religionem? inquit Gataker pag. 88. Reſp. Hæc ſi non ſeriæ ſortis religionem adſtruant, evincunt ſaltem luſoriam ſortem, aut potius vulgarem illum ſortis in ludo abuſum, religionis everſionem, & pietatis ſubverſionem eſſe. Atque ad hoc unum docendum allata ſunt.

Qui

Qui, inquit, *ægre ſibi imperant ut finem ludis iſtis imponant, per me licet vel abſtineant, vel abſtineantur. Nihil interim iſta faciunt ad ludos iſtiuſmodi ſimpliciter damnandos.* ibid. Reſp. 1. Eodem modo quiſpiam perjuria, profanitatem, pugnas, ebrietatem, fornicationem, adulteria, furta & quævis ſcelera defendat. Si ſcil. mala proponantur effecta; *ſcortatio & vinum* i. e. ebrietas, *intercipit mentem hominis* Hoſ. IV. 11. Parata mox erit reſponſio; qui ægre ſibi imperant, ut finem iſtis imponant; per me licet vel abſtineant, vel abſtineantur; interim iſta non faciunt ad iſtiuſmodi opera ſimpliciter damnanda. 2. Argumenta à malis fructibus, non uti demonſtrativa à priori proponuntur; ſed eo fine, ut doceant fugiendam eſſe arborem, à qua vel ſemper, vel ut plurimum, tales fructus decidunt. Sic Salamon; *ne colas amicitiam cum iracundo, & cum furibundo ne congrediaris; ut non diſcas itinera ejus, & aſſumas tendiculam tibi ipſi.* Prov. XXII. 24. Promtum hic erit Gatakero reſpondere; hoc obligat eos tantum qui ſibi temperare non poſſunt, ego modum tenebo. Sed velim ut lapſus Petri audax ille animus memor ſit; *Si vel omnes offendant, ego tamen non.* 3. Quicunque etiam modus teneatur in iſto ludo, illæ ſaltem horæ, quæ ei datæ ſunt,

ſunt, inutiliter periere. Quoniam neque animo, neque corpori profuere.

IV. Quartus fructus hujus ludi, *perditio bonorum* eſt. Nam *turpis lucri cupiditate, plerique fere omnes illi ludi nituntur. Unde eſt quod vulgo non niſi pecunia interpoſita ludatur, pro qua conſequenda fervide utrimque certari ſolet.* Perkins Caſ. Conſc lib. III. Cap. IV. pag 1674. Quo plus autem homines poſſunt, & ad ludum fervidiores accedunt, eo etiam majori de pretio certare ſolent. Auguſtus *in ſingulos talos ſingulos denarios conferebat*: perdebat autem *viginti millia nummûm.* Suet. cap 71. in Aug. *Nero quadringenis in punctum H.S. aleam luſit:* Idem in Neron. Claud. c. 30. Adeo ut Juvenalis hanc bonorum dilapidationem pluribus perſtringere coactus fuerit Sat. I. verſ. 89.

——neque enim loculis comitantibus itur
Ad caſum tabulæ; poſita ſed luditur arca.
——ſimplexne furor ſeſtertia centum
Perdere, & horrenti tunicam non reddere ſervo?

Sunt autem, ajunt notæ, 100. H.S. 2500 coronati Gallici. Tacitus Germanos in majus adhuc pignus luſiſſe refert. *Aleam*, inquit,

quit, (*quod mirere*) *ſobrii inter ſeria exercent, tanta lucrandi perdendive temeritate, ut cum omnia defecerunt, extremo ac noviſſimo jactu de libertate, & de corpore contendant. Victus voluntariam ſervitutem adit.* In deſcript. German. pag. 595. edit. 1643. Delrio in Diſquiſ. Magicis ſuis, libro IV. cap. IV. qu. 2. pag. 601. contendit hanc rationem eſſe quod Imperatores aleæ ludum prohibuerint; *quia perdentes in ludo aleæ ſolent blaſphemare; & etiam ſolent homines ſuas opes omnes brevi tempore conſumere, & depauperari.* Bernh. Schotanus JC. celebris plura conjungit; *Nihil tam pernitioſum familiis illuſtribus ac Reip. quam aleæ ludum*, ait: *per quem, præterquam quod cum eo multæ ſoleant concurrere impietates, familiæ facile ſubvertuntur.* Diſp. Jurid. ad ſeriem ff. Exer. XXVIII. §. ult. Zoeſius in lib. XLIV. ff. tit. de aleat. multa etiam enumerat *Cauſa prohibitionis eſt*, inquit, *quod ex iſto luſu procedant in Deum blaſphemiæ, lites, & pugnæ inter ludentes, ſubſtantiæ evacuatio, quæ facit perdentes ſæpe converti ad latrocinia, furta, & alia crimina.* Ita Ethnici, Chriſtiani, Theologi, Juriſconſulti, & cujuſcunque generis viri honeſti, viderunt aleæ ludum recta tendere ad evertendas familias Nam calor ille, & fervor in ludendo, iſtius ludi comes

eſt

eſt individuus, uti ex fructu ſecundo collegimus. Is vero eo magis accenditur, quo majorem in ſummam luditur. Alter eam vincere & auferre deſiderat, alter ea haud libenter careret. Victor dulcedine nummorum captus facile eandem fortunam tentat; victus dolore & ægritudine inſtigatur, ut tentet ſi poſſit felici jactu quod ſuum eſt recipere. Atque hinc ludus ludo additur, & ſæpe centeni aliquot floreni uno die dilapidantur. *Frigere ſolent niſi lucri alicujus cauſa fiant. At ſic pecunia, quæ melius collocari poteſt ac debet, caſui exponitur*, inquit M. Epiſcopius Reſpon. ad qu. xlii. pag. 45. Imo bona quæ Deus largitus eſt, hoc modo impie abjiciuntur. Si cui tanta bonorum copia ſit, ut nullius faciat nummos perdere, & ſumma ingenti carere, is inter miſeros & pauperes diſtribuat quod ei abunde eſt. *Ita vero pecunias diſſipare, non eſt eſſe dominum ſuarum rerum, ſed tyrannum. Iſtis etiam addito, ſi quid hâc ratione acceſſerit, id turpe lucrum eſt, & appellatur.* inquit Martyr Loc. Com. claſ. 11, cap. xii. §. 16. pag. 279. Poſtea vero pag. 280 addit: *At nonnulli dicunt ſe non oblectari, ludo niſi pro pecunia ludant. Ego vero dico multo melius & tutius eſſe ne interponatur pecunia--tollantur occaſiones quæ alioqui ſatis multæ ſunt ad malum.* Neſcio equidem

quâ ratione Monachos nos queamus accuſare, quod ingrati abjiciant illa bona quæ Deus ipſis largitur, ſiquidem per ludum & jocum facultates ſuas in talos & teſſeras, gremium Satanæ, conjicere liceat. Inopia ſcilicet eſt adverſorum caſuum, ignis, aquæ, furum, prædonum, fraudum, ſimiliumque damnorum, quæ facultates noſtras cottidie miſere flagellent, alea etiam advocanda eſt. Vide ſis ne Deus te ad hoc miſeriarum redigat, ut tunc optes vitam ſuſtentare iis, quæ antea petulanter in aleam effudiſti.

Gataker ad hæc ſuo more reſpondet; *Non ab ipſa natura ludi, à quo iſta nec perpetuo, nec neceſſario, nec per ſe etiam, ſed per accidens tantum profluunt.* pag. 88. Reſp. 1. Non etiam perpetuo ex rixa naſcitur cædes, ex fornicatione proles, ex adulterio familiæ everſio, ex furto ſuſpenſio, abeat ergo Gataker & talia patrocinio ſuo tegat. Ego vero cum magno Perkinſo exiſtimo legem non ſumma illa ſcelera tantum, & ea quorum eſſentia peccaminoſa eſt, *ſed & omnes illorum cauſas, occaſiones, atque incitamenta prohibere.* Expl. Decal. pag. 866. Imo cum ipſa Catecheſi noſtra; quæ qu. 109. ſeptimo præcepto omnem impuritatem prohiberi ait, *& quicquid hominem ad iſta allicit.* Quod de tota lege, & omni

omni præcepto, æque ac de ſeptimo dicendum eſt. 2. Ipſa natura ludi perpetuo apta nata eſt talia effecta producere; & millenis vicibus talia etiam producit, priuſquam ſemel ab iis purgata eſſe inveniatur. Atqui vitanda etiam *ſpecies mali*, & *maculata tunica* 1 Theſſ. v. 22. Judæ. v. 23. Imo 3. id ſaltem quod in medium confertur, per aleam ab alterutro dilapidatur. Atqui, quantumvis etiam in aliis ludis, ad excitandam & exercendam artem, in nummulum aut alterum ludere liceret, certe ſorte & alea ſua abjicere non licet Quoniam in ſorte & alea nulla exercitatio corporis, nulla animi recreatio, nulla juſta aut commoda ars reperitur. *Si vero quæritur de aleatore, dicendum eſt generaliter quod malæ fidei poſſeſſor eſt, & injuſto titulo poſſidet; & ideo nullo modo poteſt, nec debet ſibi tenere quod lucratus eſt; cum talis ludus ſit turpis & reprobatus, & contra Deum, & contra omnia jura.* Bonavent. in l. IV. diſt. XV. n.67. Taffin, cujus liber Ordinibus Hollandiæ & Weſtfriſiæ dedicatus eſt, de Emend. vitæ l. I-I. cap. XIX. §. 4. pag. 157. v. Nu / wie iſſer doch / die niet zal bekennen / dat het een wreetheyt is / zoo jammerlyk het goedt te verquiſten / en te verliezen; dat degeene die alzoo het gelt wint / dat zelve niet meer en mach behouden /

noch genieten / als een dief? &c. Plurima ſunt illic obſervatu digniſſima. Vin Lutheranum addi, ut omnium conſonantia hic audiatur? Occurrit J B. Schuppius Hamburgenſis Paſtor & Th. Doctor, is in concione de profanatione Sabbathi; Spieler und ſpitzbuben ſind dieb / ſoo wohl die welche gewinnen / als die welche verſpielen. Die welche gewinnen ſind dieb: dan ſie ſtehlen ihrem nechſten das gelt auß dem beutel / daß ihnen nicht gebührt. Die welche verlieren ſind auch dieb; dan ſie berauben ihre weib und kinder deſſen daß ihnen gebührt. Sed ad Gatakerum redeo.

Is ſecundo loco reſpondet; *De aliis quibuſdam ludis idem verius dici poteſt, quod de iſtis hic aſſeritur. In Scaccorum quem appellant ludo, quod multum temporis teratur.* &c. pag. 89. Reſp. 1. De aliis ludis dici non poteſt quod in iis bona per ſortem & aleam abjiciantur. Qui vincitur, is inadvertentiâ, incuriâ, imperitiâ vincitur; qui vincit, arte & diligentiâ vincit. 2. Ideo nec de aliis dici poteſt, quod eo præcipue fine inſtituantur, ut nummos lucreris; ſed ut corpus, ut animam exerceas, ut artem aliquam utilem, ut agilitatem addiſcas, 3. In aliis ludis facile nauſea oritur; vel quod vires corporis flacceſcant, vel quod ſaturetur animus. Atque ibi periculum non eſt, ne ita flagellentur bona. Ubi unquam auditum,

ditum, homines vel clava, vel reticulo, vel trocho, vel ſimili ludo, dies & noctes luſiſſe? & facultates ſuas expuliſſe? 4. In aliis ludis etiam exceſſus reprehenditur, alea vero natura ſua ad exceſſum diſpoſita eſt; quoniam per eam nec perdi, nec vinci *quidquam* juſte poteſt. *Superfluum in ludo dupliciter eſſe poteſt, uno modo ex ipſa ſpecie actionum, quæ aſſumuntur in ludum ... alio modo ſecundum defectum debitarum circumſtantiarum.* Thomas 2 2æ qu. 168. a. 3. in c. Sed 5. Gataker de *aliis ludis* diſſerit, & non niſi *ludum ſcaccorum* profert; qui tamen raro interpoſita pecunia luditur. Si iſti ludo nimium temporis impendi exiſtimet, per me licet, dicat eum cum Jacobo Rege, *philoſophicam ſtultitiam.*

Denique detur, inquit, *iſtis aliisve rationibus notam juſtam ſubire aleæ ludum quid hæc faciunt, ad ſortem à leviculo ludicrove omni negotio ac exercitio ſecludendam?* pag. 89. Reſp. Quaſi ignoret Gataker argumenta hæc ab abſurdo conſequenti, & fructibus aleæ, vulgari noſtro aleæ ludo tantum opponi? Sortis religio cap. 11. aſſerta & vindicata eſt, hic aleæ ludus exploditur. Sed, ait, *extra aleam etiam in ſcaccorum ludo, in globulorum, in ſagittandi exercitio, uſum ſors eadem frequentem obtinet.* Reſp. Illic ſors data opera non adhi-

 betur

betur: imo colluſores quantum poſſunt id cavent, ne quis caſus artem illorum turbet & ludat. Quodſi ergo ſors, & ſortitio, pro contractu illo ſumatur, quo contendentes ſtatuunt *dubium per determinationem eventus caſualis dirimendi*, tum verum non eſt in talibus ludis ſortis uſum eſſe.

v. Quintum aleæ effectum *mæror & triſtitia* eſt. Huic etiam M. Epiſcopius locum dedit inter rationes ob quas *tutiſſimum eſſe* exiſtimavit, ut ab iis ſemper abſtineatur. *Quia ex parte ejus qui vincitur, ſemper fere ægritudinem & triſtitiam aliquam victo adferunt, quæ ſanitati, recreationi & melioribus, alacrioribuſque deinde curis admittendis noxia eſt.* l. d. En rationum copiam, ægritudo illa 1. ſanitati. 2. recreationi. 3. curis poſtea admittendis noxia eſt. Atque ideo integram naturam ludi evertit. Ludus eo fine inſtituitur, ut corpori & animæ, per laborem fractis, ſuus reddatur vigor: & ita homo ad ſeria negotia aptior redeat. *Sicut fatigatio corporalis ſolvitur per corporis quietem, ita etiam oportet quod fatigatio animalis ſolvatur per animæ quietem. Quies autem animæ eſt delectatio.* Thomas 2. 2. qu. 168. a. 2. in c. Quare cum ex ludo aleæ animæ naſcatur ægritudo, alea non ludus, ſed luxus, non recreatio, ſed animi depravatio, exiſtimari debet.

bet. Oritur autem illa ægritudo animi ex omnibus illis cauſis, quas ſupra blaſphemiarum genetrices oſtendebamus. Directorem ſortis nullo jure *ſibi* potius quam *colluſori* malevolum fuiſſe animadvertit. Idque adeo pertinaciter ut nullis votis flecti potuerit. Ejus ſolius arbitrio, non imperitia, non ignorantia artis, ſuis ſe ſpoliatum videt: & colluſori ſuo, aliiſque, inſuper riſui eſt. Hoc animum rumpit, hoc mentem dilaniat.

VI. Poſtremum aleæ effectum, *iræ*, *rixæ*, *& cædes* ſunt. Quæ toties ex hoc ludo oriuntur, ut fere alium ortum non norint. **Hoe veel twiſten/vechten/ en onéénigheden zijn upt ſulcke ſpelen gerezen?** quærit Taffinus d. l. Id ſi quiſpiam ignoret, chirurgos, medicos, prætores conſulat; intelliget longe plurimas rixas, pugnas, & cædes per aleæ hunc ludum introiiſſe, & multiplicatas eſſe. *Gignit enim truces inimicitias, & funebre bellum; & inter civitatum vitia, & morum corruptelas alea non infimo loco collocanda eſt.* Inquit magnus ille JCtus Anth. Matthæus, de Crimin. ad tit. ult. lib. 47. ff. cap. VI. Specialiores harum impietatum cauſæ ſunt I. *Colluſoris continua felicitas* Hoc adeo adverſarium cruciat, ut id omni animo ferre non queat. Inflatur, turget; blaſphemias, execrationes, mox & probra & crimina evomit. Verbum ſi

obloquatur alter, hic jam pugnarum & cædis nata materia eſt. 2. *Suſpicio fraudis.* Hic fraudem adverſario objicit, ille per mendacium objici reſpondet; hinc ad rixas. 3. *Ablatio aleæ.* Si forte colluſor aleam cito auferat, tum ille puncta non ſatis perſpexerat, non is erat numerus; nondum immota ſtabat alea; hinc ad maledicta & manus. 4. *Impactio Aleæ.* Si forte teſſera ad hujus manum, illius cubitum, iſtius pallium impingat, tum nulla præter ea pugnæ materia opus eſt. 5. *Diſceſſus à ludo.* Quodſi victor ludendi finem facere velit, nec ſatis ad placitum colluſoris in ludo perſeverare, tum aut reddet quod vicit, aut pugnis onuſtus domum abibit. 6. **Schut en reſt.** Hoc ſpeciale eſt in artificioſo illo aleæ ludo, qui **verkeeren** dicitur. Et ſemper adeo variarum rixarum origo eſt, ut ipſæ infernales furiæ præſtantius medium non excogitarent ullum. Et hi ſunt excellentes illi aleæ fructus, qui eam ita continuo ſequuntur, ut vix umbra ſub ſole corpus aſſidue magis, quam hi aleam, ſequi poſſit. Plurima adhuc addendi reſtarent; ſed ego me omnia perſecuturum non promiſi.

Quoniam tamen adverſus aleam argumenta adhuc quædam occurrunt, ea hic inſerere non tædebit.

1. *Arg.* Ad quod preces fundi non poſſunt,

ſunt, & ſuper quod benedictio divina peti non poteſt; id non pium, non ſanctum, non bonum; ſed malum & illicitum eſt. Nihil enim Chriſtianus agit, quod non *per verbum & preces ſanctificari* poſſit. 1 Tim. IV. 5. 1 Theſſ. V. 18. Omnia quæ agit coram Deo patre ſuo agit, ac proinde petere ab eo poteſt, ut ſibi in iſtoc opere benedicat, ſpeciali ſuâ præſentiâ, paternâ gratiâ, adeſſe dignetur. Nam qua in re Chriſtianus benedictionem divinam exſpectare poteſt, ad eandem illam rem etiam benedictionem petere poteſt: atqui in omni re bona & licita benedictionem divinam exſpectare poteſt. Quoniam Deus eam in omni re bona & licita promittit. Deut. XXVIII. 8. *Amandabit Jehova penes te benedictionem in quodcunque admovebis manum tuam.* Ut vero benedictionem divinam in alea peti non poſſe probem, non aliud dicam, niſi, *tenta.* Ego certo mihi perſuadeo nullum eſſe animum, vel aliquatenus tantum pietate imbutum, qui non ad eam cogitationem horreat, & reſiliat. *Ego benedictionem divinam ad aleam peterem? benedictionem ad aleam!* Annon profanus viderer Deo meo, & *maledictionem adducerem ſuper me?* Gen. XXVII. 12.

2. *Arg.* Ea delectatio mala, non bona eſt, in qua homo ſeſe non oblectat in aliquo beneficio, aut bona creatura Dei. Pſal. CIV.

15. *Qui vino lætificat cor hominis* &c. Eccleſ. IX. 9. 10 11. Nam quodcunque à Deo non eſt, id à Diabolo, vel corruptione humana eſt. Rom. XI. 36. Et materiam non oblectationis, gaudii, & lætitiæ; ſed mœroris & averſationis ſuppeditat. II Tim. II. 22. Atqui in ludo aleæ aleatores ſe non oblectant in aliquo Dei beneficio, aut corporali ejus benedictione. Non oblectant ſeſe in varia illa determinatione divina, imo juxta Gatakerum noſtrum ne poſſunt quidem ad §. 2. & pag. 38. Quoniam id reverentiæ ſpiritualis, non lætitiæ civilis materiam ſuppeditat. Non oblectant ſeſe in aliqua benedictione divina; quoniam major in alea maledictio, quam benedictio eſt. Imo ne benedictionis quidem umbra eſt. Non oblectant ſe in ipſo eventu caſuali; quoniam eum cottidie extra aleam habere poſſunt; & per aleam habere poſſunt extra ludum aleæ. Nihil ergo reperitur in alea quo ſe oblectent, præter *medium tale vincendi colluſorem*, lucrandi nummos, terendi tempus. Aſt hoc non ſanctum, & benedictio aliqua divina eſt; ſed potius diabolicum, aut ſaltem carnale, & mundanum. Iren. Philal. in ſuo **Bier en Wolk Col.** pag. 160. inter conditiones ludi ponit 1. **Dat het niet en zy om gelt.** 2. **Niet om tijt-kozting.** Ita pluribus Danæus: *Leges Romanorum em-*

ptionem , venditionem , locationem, conductionem , emphyteuſin, infinitoſque alios contractus (per quos jure tum quæ noſtra ſunt ad alios transferimus; tum quæ ſunt aliena nobis acquirimus) recenſent. Ludum autem in eo numero nuſquam commemorant. Ludendo igitur alienam pecuniam lucrari , perinde eſt atque furari. de alea cap. 11. Ita ergo ſe alea oblectare, furto & rapinis ſe oblectare eſt.

3. *Arg.* Ad quod gratias Deo agere non poſſumus , illud non bonum , ſed illicitum eſt. Quoniam quemadmodum *in omnia* per preces benedictio divina peti poteſt , ita etiam *ad omnia* , ob benedictionem in iis , Deo gratiarum actio offerri poteſt. 1. Theſſ. v. 18. *In omnibus gratias agite ; hæc enim eſt voluntas Dei.* Quis vero unquam ob aleam Deo gratias egit ? quis unquam poterit ? quis unquam audebit? Scatet alea blaſphemiis , execrationibus , perditione temporis , bonorum , famæ , invidiâ , irâ , pugnis ? ob illa gratiæ agantur illi , qui hiſce delectatur , *Principi tenebrarum.* Deo vero gratia ob benedictionem agatur. Quę quum ſe aleæ immiſcere nolit , etiam ſacra hæc ab illa impietate quam longiſſime abſint.

4. *Arg.* Quod Chriſtianus ad gloriam Dei facere non poteſt , id profanum non ſanctum , impium non pium , diabolicum non divinum eſt. *Sive edatis , ſive bibatis*

ſive quidquid faciatis, omnia ad gloriam Dei facite. 1. Cor. x. 31. Certe Paulus nullam rationalem hominis actionem ab hac ſua lege eximi patitur. *Sive quidquid faciatis.* Ubi ergo divertet alea? Quæ ſubtilitas gloriam Dei per aleam promoveri docere poterit? In alea nullum apparet Dei inſtitutum, nulla invenitur benedictio, nullum pietatis adminiculum; ſed ira, invidia, execratio, blaſphemia, denique bonorum dilapidatio. Cedat ergo alea in gloriam diaboli, certe in Dei non poteſt.

5. *Arg.* Quo in opere Chriſtianus mori horret, & Deum judicem exſpectare nec audet, nec poteſt; id ille fugere, & ab eo ſibi cavere tenetur. Nullum enim opus eſt, quod Deus homini conceſſit, quod non, Deo judice, homini licitum ſit. Aſt qui poteſt adventum Dei metuere in eo opere, quod ipſe Deus ei licere dixit, & conceſſit? Num ſervus adventum domini metuit, dum in opere occupatur, quod dominus ei licere dixit? Non ſane. Aſt ubi ſe vino, aleæ, choreis dederit, tum ille horret ne forte à Domino obruatur. Ita & quivis Chriſtianus horrebit alea ludens à Domino inveniri. An quiſquam adeo impudenter impius eſſet, ut non dubitaret vel in ipſo articulo mortis alea ludere. An non memini ego, velut indicium deſperati ſtatus acceptum, quod quis paucis ante mortem

ho-

horis alea luſiſſet? Et aut ego multum fallor, aut Salvator noſter cum diceret, ſervum illum obruendum, qui bono animo eſſet, *ederet, biberet, inebriaretur, conſervum cæderet.* Matth. XXIV. Luc. XII. Monuit etiam ut ſervus ſibi caveret, ne alea ludens à Domino deprehendatur. Chemnitius in Harmonia ſua cap. cx. pag. 1589. cum ſervo illo componit Papam Alexandrum VI. *qui una nocte centena aureorum millia luſu perdidit; alea dilapidavit,* inquit Lætus cap. XXX. ſect. II. pag. 367. Et ego vereor ne ſervus, qui non horreret Dominum alea ludens in articulo mortis exſpectare, eundem cum Alexandro VI. exitum habeat.

6. *Arg.* Quod neque corpori prodeſt, neque animo ſalutare eſt, id nemo ſibi licere exiſtimare debet. Obeſt quod non prodeſt, nocet quod adjumento non eſt. *Recreationes debent nos aptiores facere ad ſerviendum Deo; & in officiis religionis, & ſpecialis vocationis.* Douwnam Chriſt. Warf. pag. 455. Quemadmodum filiorum Dei *triſtitia ad Deum* eſt. II Cor. VII. 10. Ita & eorum *lætitia.* Si bona futura ſit oportet ut eos *ad Deum* ducat. *Implens corda cibo & lætitia; ſi eum inveniant.* Act. XIV. 17. & XVII. 27. *Novimus iis qui diligunt Deum omnia adjumento eſſe ad bonum,* inquit Apoſtolus Rom. VIII. 28. Quâ quæſo ratione alea pietatem promovebit?

Num ea fidem corroborare, ſpem fulcire, caritatem accendere poteſt? Hoc poterit alea; ubi tenebræ lucem, æquitatem iniquitas, & Chriſtum Belial adamare poterunt. Non fugit me quod etiam ſcelera piis pietatis occaſio fieri cogantur, in quantum illi ad priora ſua ſcelera reſpicientes vehementius ſeſe convertunt. Sed vel ea de cauſa talia facinora Chriſtiano fugienda ſunt; quoniam non *adjumentum pietatis ſunt*, ſed tantum *occaſio eſſe coguntur.* Prudentis eſt vitare illud, quod nocet, niſi ſequenti converſione cogatur prodeſſe. Nocet alea, non prodeſt: Prodeſt pœnitentia ſuper alea, tanquam re quæ abſque ea veneno ſuo imbueret animam. Memini quod defatigato corpori otium ſalutare ſit, & laſſam mentem delectatio reficiat. Sed otium quod in alea eſt, id alea non eſt. Paulus cum moneret, *quod bonos mores colloquia prava corrumperent* 1 Cor. xv. 33. non ignorabat in talibus ut plurimum otium corporis eſſe. Neque ideo abſolvebat illud *otiari*, *& domatim obambulare.* 11. Theſſ. 111. 11. quod in eo quies corporis eſſet. Alea, qua alea, & ſortis abuſus, neque otium, neque corporis refocillatio eſt. Neque etiam, qua alea, mentis oblectatio eſt. Nulla conſpicitur in ea ars, nullum deprehenditur in ea ingenium, nullum facetum dictum, nulla præter opinionem ſubtilitas:

Quicquid in ea invenitur, aut actus providentiæ divinæ eſt, ſi ſerio mittatur ſors; aut, permittente Deo, manus diaboli, ſi profane adhibeatur. *Secunda hujus ludi improbandi ratio eſt, quod præter veriſſimam ludi naturam inſtitutus eſt. Neque enim in ea (alea) corpus exercemus, ut in lucta & curſu. Animi vero induſtriam aleatores nequaquam augent.* &c. Danæus de alea cap. IX. *Sunt quidem aliæ rationes ob quas otioſorum illorum luſus, in quibus nullum eſt corporis exercitium, exigua animi induſtria, qui aleæ nomine ſignificantur, legibus prohibiti ſunt & damnati.* Rivet. in Decal. ad 3. præc. pag. 1296. **Deze ſpelen met kaarten ende dobbelſtenen en beſtaan ook in geen lighamelijke oeffeninge / als een yeder wel weet. Ende daar en is in de zelve geen vermakinge des geeſtes.** Taffin. Boetveerd. l. II. cap. XIX. §. 3.

7. *Arg.* Alea mundanum & carnale exercitium mundanorum hominum eſt. Uti ſupra obiter monebamus. Atque ideo Chriſtianis fugiendum. Paulus cum ad Epheſ. IV. 14. monet, *ne circumferamur quovis vento doctrinæ, in hominum alea, per veteratoriam ad artificioſe fallendum*, aleam non inducit ut exercitium pium Chriſtianorum aut ſanctorum; ſed ut artem profanorum & mundanorum hominum, qua alii

alios

alios fallere conantur. Et cap. v. omnia *infrugifera tenebrarum opera* Epheſios arguere jubet, in quibus ſcilicet qui occupatur, non *ambulat accurate*, non *redimit opportunitatem temporis.* Aſt ille etiam qui ſe aleæ dedit, non *ambulat accurate*, non redimit opportunitatem temporis. Ut enim intelligas Apoſt. de recreationibus etjam diſſerere, verſu 19 addit; *loquentes inter vos pſalmis, hymnis, & cantionibus ſpiritualibus.* Quæ recreationes cum Chriſtianis præſcribantur, nemo dubitare poteſt, num alea ipſis ut carnalis, ut mundana, interdicta ſit. Et vero nonne mundanum & carnale eſt, quo mundus & caro delectantur? Animum advortat quivis, an non hic hic ludus carni gratus & ſuavis ſit. Imo an non adeo gratus ſit, ut alia quævis illicita recreatio. Certe niſi gratus foret, carnales & mundani homines non adeo ejus amore caperentur. Et quid niſi carnale exercitium, carni gratum, videri poſſet? An non eo extinguuntur virtutes, fides, amor, timor Dei, & caritas proximi? An non eo foventur & excitantur quævis vitia, fiducia in fortuna, averſatio à Deo, odium proximi, avaritia, & quicquid mali nomen habet? *fugite* ergo iſtas *carnales cupiditates.* II. Tim. II. 22. I. Pet. II. 11.

8. *Arg.* Alea legibus proſcripta, & jure civili

civili condemnata eſt. Leges paſſim datâ occaſione produximus. Het is een generale concluſie dat het ſpelen na rechten is verboden &c. Uti audivimus ſupra ex JCto Zutphen. Grotius in manud. ad Juriſp. Holl. lib. III. parte 3. pag. 63. verſa; Staat te weten dat alle tuyſchſpelen plagen van oudts in Hollandt verboden te zyn/ zonder des Graafs oorlof / die aan eenige Steden zodanigen recht heeft vergunt. In poſteriore editione urbes illæ ad marginem notantur fuiſſe, Leyden/ Delft/ Monickendam. Jus civile omnia ſtatuit adverſus aleam & aleatores, quæ ullibi coacervari potuêre. Aleam non modo improbat & prohibet, ſed & decernit; Wanneer yemant met een ander ſpeelt eenigh verboden ſpel / ſonder ghelt by te zetten/ maar alleen op geloof/ ende dat hy een zekere ſomme komt te winnen/ zoo en heeft hy geen recht / ofte actie/ om zoodanige ſchult te exigeren. Zutphen Pract. in voce Spel. Neque ſolum aleatori, ad exigendum id quod aleâ lucratus eſt actio denegatur; *tit. ff. & C. de aleat.* ſed inſuper, ſi quid ſolutum fuerit, conceditur repetitio. Non ei tantum qui ſuâ aleâ perdidit; ſed & patri, domino, hæredibus, imo Primati & Rectori Civitatis. *l.* 2. *&* 3. *C. eodem.* Atque hiſce omnibus repe-

repetitionem negligentibus, *quivis alius illud repetere poteſt.* Arn. Corv. ff. h. t. Schot. Exam. Jur. eodem. Ja zoo verre / dat zelfs een derde dewelke het gelt om te ſpelen heeft geleent / en verſchoten / t'zelve van den Debiteur in rechten niet mach eyſchen. S. van Leeuwen Parat. Jur. Nov. par. 1. cap. IX. n. 4. Quod ſi vero *quis eum apud quem alea luſum eſſe dicetur, verberaverit, damnumve ei dederit, ſive quid eo tempore dolo ejus ſubtractum eſt; judicium non dabo. ff. tit. de aleat.* §. 1. *verum furtum domi, eo tempore quo alea ludebatur, impune fit.* Ibid, §. 2. Neque exiſtimandum eſt has leges conſuetudine abrogatas eſſe: Uti in majori libro excipere conatur Gataker. Quoniam *contrarium ejus quod hic jure Romano obtinuerit, ne quidem conſuetudine introduci poteſt.* Schot. d. l. & Diſp. Jur. Exerc. XXVIII. §. ult. Neque hic ludus per conſuetudinem excuſari poteſt; *propterea quod talis conſuetudo ut irrationabilis induci nequeat.* Fachin. lib. XI. c. 52. Hinc etiam optandum, ait Celeb. Matthæus, *hodie etiam eſſe ædiles qui udos homines è popinis rapiant, ac nec Saturnalibus. optimo dierum, aleæ frena laxent.* de Crimin. ad tit. ult. l. 47. ff. cap. VI. n. 3. 4. Et providendum monet Weſembecius, *ut omnis aleæ luſus procul è finibus benè inſtitutæ civi-*

civitatis extermινetur. Parat.t.de aleat. n. 1.

Fruſtra hic monebit Gataker, reſpiciendum quibus rationibus moti Imperatores tales leges dixerint. Nam quâcunque occaſione lex ſanciatur, obligat nihilominus iſtius ditionis populum, ne contravenire queat. Nemo Theologorum, ex eo quod ludus aleæ lege civili interdictus ſit, concludit quod & in ſe malus, & legi divinæ contrarius ſit. Quemadmodum eos diſputantes libenter induceret Gataker. Sed demonſtrata ejus ludi in leges divinas impietate, oſtendunt quod, cum lege divina, jus civile etiam has corruptelas proſcribat. Atque inde concludunt; quod tanta hujus ludi ſit turpitudo, ut Deus eum non patiatur in Eccleſia, non Princeps in civitate. Adeo ut aleatores nec è ſacro fonte, nec ex jure civili, quidquam ad abluendam ignominiam haurire queant. Provinciæ Ultrajectinæ Ordines non obſcurè ludum hunc *ob abuſum ſortis* condemnant. Cum in ſtatuto de Regimine Scholarum Ludi-Magiſtris imperant, **dat zy den kinderen verbieden zulke ſpelen / die met misbruyk van het lot zyn vermenght. School Ordre** de An. 1654.& 1655 §.16.

Neque alicujus ponderis eſt quod objicitur: *Quod in convivio veſcendi cauſa ponitur, in eam rem familiæ ludere permittitur.*

tur. ff. tit. de aleat. Nam neque dicitur id ludo aleæ fieri debere. Quo ludo *Senatus conſultum vetuit in pecuniam ludere.* Imo ſi de alea capiatur lex, prodeſſe non poteſt: Non enim cuivis in convivium ludere conceditur, ſed *familiæ*, ſervis puta, cum filiisfamilias. Quæ autem, & quanta erant quæ ſervis concedebantur, utpote perſonis abjectis, quæ tamen illicita erant capitibus liberis? His vero in convivium ludere conceditur, quod eo in caſu, non ludere, non nummos alterius ad ſe trahere, intendebatur; ſed convivium duntaxat. Poſſet alioqui ſic commodè capi lex; quod eo in caſu in convivium ludere in foro humano conceſſum ſit; ſi fortè convivium fecerint amici, atque tum uti ſæpè fit, omnes quod debetur ſolvere parati ſint, ſortem conjicere permittitur, ut inveniatur qui omnia ſoluturus ſit. Atque adeo illa non tam luſoria, quam diviſoria ſors erit.

9. *Arg.* Alea ſcandaloſa eſt, & offendiculum infirmis animis præbere apta eſt. Nam *aleatorum nomen*, à Romanis ad noſtra uſque tempora, ſemper *infame fuit, quamobrem teſſerarios ſe appellari malebant, ut latrones πειρατὰς. Cuja. Par. in C. h. t. Pacius in Iſag. h. t.* Hinc Juvenalis Sat. XI. v. 174.

Alea turpis
Turpe & adulterium mediocribus. No-

Notum eſt quod Plato artem illam à Dæmone *Theuth* inventam dicat. *Theuth* nihil aliud notat, quam belgicum tijt / tempus. Nam *Ethnici tempus*, & *ſignificantia tempus, Solem* & *Lunam* ut Deos venerati ſunt. *Boxhorn. Notæ ad Sulpit. Sever. pag. 4. a.* Cicero velut crimen Antonio objicit, quod Licinium Lenticulam reſtituiſſet. Philip. 11. pag. 1050. edit. in 8. *Hominem omnium nequiſſimum, qui non dubitaret, vel in foro alea ludere, lege quæ eſt de alea condemnatum reſtituit.* Ejuſdem legis de alea meminit Horatius. Car. lib III. Ode 24. pag. 87.

Neſcit equo rudis
Hærere ingenuus puer,
Venarique timet. Ludere doctior,
Seu græco jubeas trocho,
Seu mavis vetita legibus alea.

Leges illæ fuerunt, *Cornelia*, *Roſcia*, *Publicia*, *Titia.* An iis legibus omnis aleæ ludus interdictus fuerit, fateor me ignorare. Infames videntur apud Romanos fuiſſe, 1. qui publicè & in foro luderent, ut patet ex illo Ciceronis loco. 2. Qui matutino tempore ludebant. Suet. in Domiti. cap. XXI. pag. 811. *Quoties otium eſſet alea ſe oblectabat, etiam pro feſtis diebus, matitiniſque horis.* 3. Qui alio tempore quam Decembri menſe, & feſtis diebus. Suet. in Auguſt. cap. 71. pag. 217. *Luſitque ſimpliciter.*

ter. - - - ac præterquam Decembri menſe, aliis quoque feſtis profeſtisque diebus. 4. Qui ſæpè, & omni quæſitâ occaſione. Suet. in Tiberium cap. 33. *Aleam ſtudioſiſſimè luſit.* Et de Domitiano; *quoties otium eſſet.* 5. Qui lucri causâ ludebant. *Senatusconſultum vetuit in pecuniam ludere.* Sic Grotius in manud. d. l. **Daar en boven zijn op vele plaatzen keuren / dat het gunt in zodanigh ſpel verloren is / boven twee lood zilvers / ofte zekere waarde / magh weder-geeyſt worden.** *Sed nec permittimus in his ludis ultra unum ſolidum* l. 2. C. tit. de aleat. 6. Denique qui per multum tempus ludo iſti ſe dedebant. *Luſimus per omnes dies.* Quæ ſupra de Auguſto citavimus. Colligunt aliqui quod in conviviis alea quoque Romanis interdicta fuerit, ex loco illo Plautino. Mil. Glor. Act. II Sc. II.

ut ne legi fraudem faciant talariæ
Accuratote, ut ſine talis domi agitent convivium.

Sed non libet omnes iſtas nugas evolvere. Apud nos aleatores adeo malè audiunt, ut in proverbium abierit; *aleatores regnum cælorum non poſſidebunt.* **Dobbelaars en ſpeelders zullen het Koninghrijk der Hemelen niet bezitten.** Quaſi nemo aleatore nequior ſit. Certe quo quis magis pius eſſe, aut videri cupit, eo aleam vehemen.

horrentius horret, diligentius fugit. Nonne docet experientia quoties aleatores, ad inopinatum viri pii & gravis adventum, tabulam luſoriam amoveant, chartas pictas abſcondant? Quaſi ſignificare velint, eſſe ſe *αὐτοκατακρίτους*, ſuopte judicio damnatos. Qui non ignorent ob hæc ſua facta *impios ſe videri* coram ſanctis, impios eſſe coram ſanctiſſimo Deo. Adeo vel ipſo ludentium judicio alea occaſio ſcandali eſt, & argumentum male, aut potius malum, de hominibus ſentiendi.

Gataker in majori ſuo libro reſpondere ſtudet, quod merito quidem aleator malè audiat; ſed *aliud eſt alea, aut chartis ludere, aliud aleatorem eſſe.* Quoniam hoc *habitum, profeſſionem, & praxin* ſignificat. pag. 275. Reſp. 1. An non æquè excipi poſſet, aliud eſt hominem occidere, aliud homicidam eſſe? aliud eſt fornicari, aliud fornicatorem, & meretricem eſſe? aliud adulterium committere, aliud adulterum eſſe? aliud furari, aliud furem eſſe? Peccatum uno actu inurit maculam, quæ ſubjecto per modum habitus perpetuò adhæret. **Die eens ſteelt is al zijn leven een dief.** Hinc *meretrices & publicani* vocantur homines, utcunque converſi jam diu fuerint Matth. xxi. 31. 32. Ab uno ergo *peccato*, peccans *pecca-*

tor

tor dici poteſt; ab homicidio homicida, ab alea aleator. *Aleatores ſunt qui ſeſe quocunque ludendi genere varietati fortunæ committunt*; inquit Lexic. Jur. variorum in voce *Aleatores.* 2. Eſt ille, fateor, aut verborum defectus, aut abuſus, in quibuſdam regionibus, ut verbum, peccatum exprimens, ſolum habitum deſignare videatur. Ita apud nos vix vocatur een dronkaart / *ebrioſus*, qui ſemel tantum, aut bis, in illud vitium incidit. Sed id nihil Gatakero prodeſt; quoniam ebrietas peccatum nihilominus manet, & maculam, coram Deo & hominibus inurit ei, qui tantum ſemel, bis, terve inebriatus fuit. Ita alea peccatum eſt, & occaſio ſcandali, etiamſi quis tantum ſemel aleam ludat.

Deinde, inquit, ne ſcandalum præbeatur *benefaciet qui ſibi cavet ab illis, qui in diverſa opinione ſunt;* pag. 278. Reſp. Cave tu tibi ne homines lucifugas facias, atque in tenebras ad perpetrandam iniquitatem fugere doceas. *Joh.* III. 19. 20. 21. *Eph.* V. 11, 12, 13. 1 *Theſſ.* V, 7. 8. In ſpiſſiſſimis tenebris non licet illud perpetrare; quod & per ſe malum eſt, & ſcandali occaſio.

10. *Arg.* Etiam illud occurrit; quod aleatores non admittantur ad cœnam. Formula noſtra, ad quam celebratur ſacra cœna, cum reliquis peccatoribus etiam aleatores excludit.

excludit. **woekeraars/ rovers/ ſpelers.** Ita etiam habet Germanica formula, quâ & Lutherani utuntur, *wucherer/reuber/ ſpieler.* Aſt vero nemo arcetur à cœna niſi ob hoc quod illicitum, quod impium, quod abominandum, quod denique ſcandaloſum eſt. Nemo, ut opinor, dubitabit, reſpiciatne formula ad aleatores, cum ait, **ſpe-lers.** Genus illic pro ſpecie præcipua ponitur. Quemadmodum & *JCtus Zutphen* ſub nomine **ſpel** de aleatoribus agit. Nemo ob ludum pilæ vel clavæ arcebitur à ſacra cœna; quoniam id ei licere ſupponitur. Aleator vero; ſi vel tantummodo dimidium temporis in hebdomada aleæ det, quod alter pilæ aut clavæ impendit, profanus audiet. Si quis, ubi occaſio fert, à meridie per horam ambulaverit, equitaverit, aut pilâ luſerit, non is ſtatim profanus, mundanus, & impius audiet; neque ad hoc attendit Eccleſia. Sed vero ſi alter, iiſdem illis diebus, non niſi per mediam horam aleâ luſerit, is illico correptionem, aut etiam cenſuram ſibi concitabit; *procul hinc, procul ite profani.*

11. *Arg.* Deus ut plurimum reipſa maledicit aleatoribus, eoſque quaſi in conſpectu mundi plectit: neceſſe ergo eſt ut alea ejus voluntati adverſetur. Si quis vitam, &

ſtatum aleatorum intueatur, videbit eos ſenſim inſenſibiliter depauperari, & plane perire. Utcunque quis feliciter, & feliciſſime ludat, cottidie tamen conſumitur & tabeſcit. Quicquid alea viceris, id, quaſi ventus difflarit, periit antequam perire ſentias. Neque aufugit illud ſolum; ſed & reliquam ſuppellectilem ſecum rapit; veluti cancer, mordet quod ſanum eſt, quicquid tangere poteſt. An non docet experientia aleatorum facultates, quaſi phthiſi laborent, ita indies extenuari, & emaceſcere? Quæſo an non ea maledictio divina eſt? quæ *in pinguia ejus maciem immittit* Jeſ. x. 16. ut *propter iniquitatem ſuam attenuetur.* Pſal. cvi. 43. Animum ergo advortite aleatores; accingit ſe Deus ut ſe vobis hoſtem ſiſtat; vobiſque & in anima & in corpore maledicat, imo malefaciat.

CAP. VI.

Exceptionibus & objectionibus Satisfit.

Celeberrimus noſter Ameſius in paucas etiam theſes adverſariorum exceptiones & objectiones contraxit, eaſque breviter & accuratè diluit. Videndum ergo quomodo hic ſe defendat Gataker; ſed philo-

ſophan-

ſophandum paucis. Prima objectio §. 20. continetur.

1. *Obj.* Sors in civilibus controverſiis minoris momenti legitimè uſurpatur. Ergo & in rebus levibus & ludicris. Reſpondet Ameſius: *Quamvis illæ controverſiæ civiles non ſint graves*, ſupple ob materiam, *ex conſequentibus tamen, conjunctis vel adhærentibus, admodum graves redduntur.*

Reponit Gataker, *negatur ejuſmodi eſſe omnes.* Reſp. 1. Affirmatur, & ex enumeratione partium demonſtratur. 2. Si tales non ſint, negatur ſortem ſuper illis mittendam.

Inſtantia. *Non erat materia magni momenti, quem agnum Levita haberet, modo haberet unum ex decem, duos ex viginti. Lev.* XXVII 32. *Hoc tamen ſorte deciſum. Non erat res magni, quo loco ſtarent in templo Levitæ, quis ad januam ſeptentrionalem, quis ad meridionalem ſtaret. Neque res magni momenti erat, quis hoſtias incenderet, &c. Quæ tamen ſorte deciſa* 1 *Par.* XXVI. 13. 14. *Luc.* 1. 9. Gatak. Defence againſt. Mr. De Reply pag. 62, 63.

Reſpondet Ameſius §. 21. *Gravia incommoda ſecum potuiſſent inferre, niſi divina aliqua ſententia fuiſſent determinata. Et eo nomine ſortibus deſignabantur, ex inſtitutione divina.*

Ad hæc Gataker. 1. *Non liquit ex inſtitutione divina iſta omnia ſorti fuiſſe commiſſa.* pag. 69. Reſp. 1. Aſt Ameſius illa tantum aſſumſit ex tuo libro. Ipſe ea adduxiſti, ipſe loca Scripturæ adjeciſti. Cui fini, niſi ut evinceres quod Judæi illa autore Deo facerent? 2. Aut modus ille ſerviendi Deo ex inſtitutione divina fuit, aut Judæi hâc in parte peccarunt contra Deuter. 1 v. 2. Jeſ. xxix. 13. Matth. xv. 9.

Deinde reſpondet: *Sorti ideo fuiſſe commiſſa, ut divinâ quâdam ſententiâ res tranſigeretur, id vero multo minus liquet.* Reſp. 1. Quicquid ſorti committitur, id ideo ſorti committitur, ut divina ſententia determinetur; uti ſupra probatum: 2. Sorti illa commiſſa ſunt, vel ut divina, vel ut humana, vel ut diabolica ſententia determinarentur? non autem humana, non diabolica, igitur divina. Quid enim præter Deum eſt, cujus ſententia vel cultus Dei, vel modus ſerviendi Deo determinetur?

Tertio reſpondet: *Eſto potuiſſe gravia ſecum incommoda trahere, niſi certâ ratione aliquâ determinarentur: poterant tamen & aliis rationibus commodè tranſigi.* Reſp. 1. Dicatur ergo Deus eâ in re fruſtra ſortem injunxiſſe, aut certe conceſſiſſe. 2. Non quæritur an aliâ ratione res tranſigi potuerit; ſed an ità ut non ſequerentur illa incommoda.

da.

da. Hoc qui aſſerit, demonſtrare debuerat.

Ut ex agniculis decem iſte potius quam ille ſacerdoti cederet, quod ſorte ſolum agebatur, præſertim ubi inæqualitas notabilis nulla, nullius fere momenti res erat. &c. pag. 70. 71. Reſp. 1. Diſcerpuntur hic quæ conjuncta oportuit. Cum *hic* agnus ſorte ſacerdoti datur, tum *agnus* ſacerdoti ſorte cedit. At res eſt alicujus momenti quo modo ſacerdoti *agnus* eligatur. 2. Si vel materia vel res tanti momenti non fuiſſet, incommoda tamen magna conſequi poterant. Si dominus agnum eligeret, fraus ſubeſſe poterat; ſi Sacerdos, injuria. Imo hâc ratione aliquando totus cultus deſpectui haberi cœpit. Mal. cap 1. *claudum & ægrotum offerebant.*

2. Obj. *Si conſideremus naturam ſortis, & incertitudinem ejus, inveniemus eam aptam ad tales materias quæ ſunt minimi momenti.* Gataker de natura ſortis cap. vi. pag. 164. Defence pag. 67.

Huic reſpondet Ameſius §. 21. *Ex natura ſortium non apparet quod rebus leviſſimis maxime conveniat. Quamvis enim ſingularem Dei definitionem non liceat exſpectare, niſi ante fecerimus quod in nobis eſt, ad quæſtionem propoſitam ordinariis mediis definiendam; gravitas tamen illo conatu noſtro vel non removetur, vel,* ſi removeatur, tum controverſia, *ſorti non eſt com-*

diſpertitione eâ uti licuerit, niſi ubi inſignis inæqualitas remanſerit. &c. pag. 73. Reſp. Ameſius per *gravitatem* non pondus materiæ per ſe intelligit, ſed periculum ex conſequentibus effectis. Et ſenſus eſt; ubi omne periculum murmuris, ſuſpicionis, injuriæ, iræ, rixæ; denique calumniæ ſublatum eſt, tum nec opus, nec fas eſt controverſiam ſorti committere.

3. Obj. *Si ſacer eſſet ſortis uſus, tum inveniretur ſpecialis ejus inſtitutio: Atqui ea non invenitur; Ergo.*

Reſpondet Ameſius §. 23. *Natura ipſa ſortis ſancta eſt, ut juramenti. Non opus eſt igitur ut ſpecialem ſanctificationem accipiat ab inſtitutione aliqua ſingulari &c.* Verba, quæ opponat, hic Garakero non deſunt, verbis tamen deeſt rationum vis.

1. Ait Ameſium hic *diſcedere à ſe & ſuis, ipſe in concione ſortes non tantum ex inſtitutione, verum etiam ex rei ipſius natura, ſacras eſſe dixit.* Reſp. Subordinata non pugnant. Aſſerit Ameſius naturam ſortis ſanctam eſſe; non negat eam ex inſtitutione divina ad uſum ſacrum ſegregatam. Et vero, ut ut non reperiatur ſortis *ſingularis* talis *inſtitutio*, qualis circumciſionis, Paſchatis, Baptiſmatis & Cœnæ; repetiatur tamen aliqua, & talis quæ uſum & naturam ejus abunde docet. Lev. XVI. 8.

xxvii. 32. Num. xxvi. 55. Nehem. x. 34. & xi. 1. Prov. xvi. 33. & xviii. 18.

Deinde inquit, *quod ſors non ſit ſancta ut juramentum, ex definitione juramenti, & ſortis - - inter ſe commiſſis, facile patebit*, pag. 75. Reſp. convenientia utriuſque clarè ſplendet (1) In juramento controverſia determinanda eſt. Exod. xxii. 10. 11. Similiter in ſorte. Nehem. xi. 1. (2) in juramento petitio eſt divini teſtimonii ii Cor. 1. 23. Similiter in ſorte Act. 1. 24. (3) In juramento controverſia quaſi per interventum Dei, ejuſque præſentiæ, potentiæ, & benedictionem, conſopitur. Rom. ix. 1. Similiter in ſorte Prov. xvi. 33. Denique 4. contendentes ſe juramento ſubjiciunt, convenitque inter eos quod id contendendi finem faciet Heb. vi. 16. Similem contractum ineunt ſortientes; eſtque effectum idem Prov. xviii. 18. Differentia, quæ alicujus momenti foret, tantum in eo eſt, quod *juramenti* uſus eſt in rebus bonis, & malis; præteritis, præſentibus, & futuris; juris & facti: *ſortis* vero tantummodo in re adiaphora.

Si ſors ſancta eſt ut juramentum -- cur in facti juriſque controverſiis definiendis juramentum admittitis, ſortem repudiatis? Reſp. Id jam ſupra diximus. Quia ſors diviſoria in re adiaphora nobis tantum conceſſa eſt.

Poſtremâ reſponſione non niſi ſenten-

tur. ff. tit. de aleat. Nam neque dicitur id ludo aleæ fieri debere. Quo ludo *Senatus conſultum vetuit in pecuniam ludere.* Imo ſi de alea capiatur lex, prodeſſe non poteſt: Non enim cuivis in convivium ludere conceditur, ſed *familiæ*, ſervis puta, cum filiisfamilias. Quæ autem, & quanta erant quæ ſervis concedebantur, utpote perſonis abjectis, quæ tamen illicita erant capitibus liberis? His vero in convivium ludere conceditur, quod eo in caſu, non ludere, non nummos alterius ad ſe trahere, intendebatur; ſed convivium duntaxat. Poſſet alioqui ſic commodè capi lex; quod eo in caſu in convivium ludere in foro humano conceſſum ſit; ſi fortè convivium fecerint amici, atque tum uti ſæpè fit, omnes quod debetur ſolvere parati ſint, ſortem conjicere permittitur, ut inveniatur qui omnia ſoluturus ſit. Atque adeo illa non tam luſoria, quam diviſoria ſors erit.

9. *Arg.* Alea ſcandaloſa eſt, & offendiculum infirmis animis præbere apta eſt. Nam *aleatorum nomen*, à Romanis ad noſtra uſque tempora, ſemper *infame fuit*, *quamobrem teſſerarios ſe appellari malebant, ut latrones πειρατάς. Cuja. Par. in C. h. t. Pacius in Iſag. h. t.* Hinc Juvenalis Sat. XI. v. 174.

Alea turpis
Turpe & adulterium mediocribus. No-

Notum eſt quod Plato artem illam à Dæmone *Theuth* inventam dicat. *Theuth* nihil aliud notat, quam belgicum tijt / tempus. Nam *Ethnici tempus, & ſignificantia tempus, Solem & Lunam* ut Deos venerati ſunt. *Boxhorn. Notæ ad Sulpit. Sever. pag. 4. a.* Cicero velut crimen Antonio objicit, quod Licinium Lenticulam reſtituiſſet. Philip. 11. pag. 1050. edit. in 8. *Hominem omnium nequiſſimum, qui non dubitaret, vel in foro alea ludere, lege quæ eſt de alea condemnatum reſtituit.* Ejuſdem legis de alea meminit Horatius. Car. lib III. Ode 24. pag. 87.

Neſcit equo rudis
Hærere ingenuus puer,
Venarique timet. Ludere doctior,
Seu græco jubeas trocho,
Seu mavis vetita legibus alea.

Leges illæ fuerunt, *Cornelia, Roſcia, Publicia, Titia.* An iis legibus omnis aleæ ludus interdictus fuerit, fateor me ignorare. Infames videntur apud Romanos fuiſſe, 1. qui publicè & in foro luderent, ut patet ex illo Ciceronis loco. 2. Qui matutino tempore ludebant. Suet. in Domiti. cap. XXI. pag. 811. *Quoties otium eſſet alea ſe oblectabat, etiam pro feſtis diebus, matutiniſque horis.* 3. Qui alio tempore quam Decembri menſe, & feſtis diebus. Suet. in Auguſt. cap. 71. pag. 217. *Luſitque ſimpliciter.*

ter.- - - ac præterquam Decembri menſe, aliis quoque feſtis profeſtisque diebus. 4. Qui ſæpè, & omni quæſitâ occaſione. Suet. in Tiberium cap. 33. *Aleam ſtudioſiſſimè luſit.* Et de Domitiano; *quoties otium eſſet.* 5. Qui lucri causâ ludebant. *Senatusconſultum vetuit in pecuniam ludere.* Sic Grotius in manud. d. l. Daar en boven zijn op de le plaatzen keuren / dat het gunt in zodanigh ſpel verloren is / boven twee lood zilvers / ofte zekere waarde/magh weder-geeyſt worden. *Sed nec permittimus in his ludis ultra unum ſolidum* l. 2. C. tit. de aleat. 6. Denique qui per multum tempus ludo iſti ſe dedebant. *Luſimus per omnes dies.* Quæ ſupra de Auguſto citavimus. Colligunt aliqui quod in conviviis alea quoque Romanis interdicta fuerit, ex loco illo Plautino. Mil. Glor. Act. II. Sc. II.

ut ne legi fraudem faciant talariæ
Accuratote, ut ſine talis domi agitent convivium.

Sed non libet omnes iſtas nugas evolvere. Apud nos aleatores adeo malè audiunt, ut in proverbium abierit; *aleatores regnum cælorum non poſſidebunt.* Dobbelaars en ſpeelders zullen het Koninghrijk der Hemelen niet bezitten. Quaſi nemo aleatore nequior ſit. Certe quo quis magis pius eſſe, aut videri cupit, eo aleam vehemen.

herentius horret, diligentius fugit. Nonne docet experientia quoties aleatores, ad inopinatum viri pii & gravis adventum, tabulam luſoriam amoveant, chartas pictas abſcondant? Quaſi ſignificare velint, eſſe ſe *αὐτοκατακρίτους*, ſuopte judicio damnatos. Qui non ignorent ob hæc ſua facta *impios ſe videri* coram ſancti s, impios eſſe coram ſanctiſſimo Deo. Adeo vel ipſo ludentium judicio alea occaſio ſcandali eſt, & argumentum male, aut potius malum, de hominibus ſentiendi.

Gataker in majori ſuo libro reſpondere ſtudet, quod merito quidem aleator malè audiat; ſed *aliud eſt alea, aut chartis ludere, aliud aleatorem eſſe.* Quoniam hoc *habitum, profeſſionem, & praxin* ſignificat. pag. 275. Reſp. 1. An non æquè excipi poſſet, aliud eſt hominem occidere, aliud homicidam eſſe? aliud eſt fornicari, aliud fornicatorem, & meretricem eſſe? aliud adulterium committere, aliud adulterum eſſe? aliud furari, aliud furem eſſe? Peccatum uno actu inurit maculam, quæ ſubjecto per modum habitus perpetuò adhæret. **Die eens ſteelt is al zijn leven een dief.** Hinc *meretrices & publicani* vocantur homines, utcunque converſi jam diu fuerint Matth. xxi. 31. 32. Ab uno ergo *peccato*, peccans *peccator*

excludit. Woeckeraars/ roovers/ ſpelers. Ita etiam habet Germanica formula, quâ & Lutherani utuntur, wucherer/reuber/ ſpieler. Aſt vero nemo arcetur à cœna niſi ob hoc quod illicitum, quod impium, quod abominandum, quod denique ſcandaloſum eſt. Nemo, ut opinor, dubitabit, reſpiciatne formula ad aleatores, cum ait, ſpeler*s*. Genus illic pro ſpecie præcipua ponitur. Quemadmodum & *JCtus Zutphen* ſub nomine ſpel de aleatoribus agit. Nemo ob ludum pilæ vel clavæ arcebitur à ſacra cœna; quoniam id ei licere ſupponitur. Aleator vero; ſi vel tantummodo dimidium temporis in hebdomada aleæ det, quod alter pilæ aut clavæ impendit, profanus audiet. Si quis, ubi occaſio fert, à meridie per horam ambulaverit, equitaverit, aut pilâ luſerit, non is ſtatim profanus, mundanus, & impius audiet; neque ad hoc attendit Eccleſia. Sed vero ſi alter, iiſdem illis diebus, non niſi per mediam horam aleâ luſerit, is illico correptionem, aut etiam cenſuram ſibi concitabit; *procul hinc, procul ite profani.*

11. *Arg.* Deus ut plurimum reipſa maledicit aleatoribus, eoſque quaſi in conſpectu mundi plectit: neceſſe ergo eſt ut alea ejus voluntati adverſetur. Si quis vitam, &

 ſtatum

ſtatum aleatorum intueatur, videbit eos ſenſim inſenſibiliter depauperari, & plane perire. Utcunque quis feliciter, & feliciſſime ludat, cottidie tamen conſumitur & tabeſcit. Quicquid alea viceris, id, quaſi ventus difflarit, periit antequam perire ſentias. Neque aufugit illud ſolum; ſed & reliquam ſuppellectilem ſecum rapit; veluti cancer, mordet quod ſanum eſt, quicquid tangere poteſt. An non docet experientia aleatorum facultates, quaſi phthiſi laborent, ita indies extenuari, & emaceſcere? Quæſo an non ea maledictio divina eſt? quæ *in pinguia ejus maciem immittit* Jeſ. x. 16. ut *propter iniquitatem ſuam attenuetur.* Pſal. cvi. 43. Animum ergo advortite aleatores; accingit ſe Deus ut ſe vobis hoſtem ſiſtat, vobiſque & in anima & in corpore maledicat, imo malefaciat.

C A P. VI.

Exceptionibus & objectionibus Satisfit.

Celeberrimus noſter Ameſius in paucas etiam theſes adverſariorum exceptiones & objectiones contraxit, eaſque breviter & accuratè diluit. Videndum ergo quomodo hic ſe defendat Gataker; ſed philoſophan-

ſophandum paucis. Prima objectio §. 20. continetur.

1. *Obj.* Sors in civilibus controverſiis minoris momenti legitimè uſurpatur. Ergo & in rebus levibus & ludicris. Reſpondet Ameſius: *Quamvis illæ controverſiæ civiles non ſint graves*, ſupple ob materiam, *ex conſequentibus tamen, conjunctis vel adhærentibus, admodum graves redduntur.*

Reponit Gataker, *negatur ejuſmodi eſſe omnes.* Reſp. 1. Affirmatur, & ex enumeratione partium demonſtratur. 2. Si tales non ſint, negatur ſortem ſuper illis mittendam.

Inſtantia. *Non erat materia magni momenti, quem agnum Levita haberet, modo haberet unum ex decem, duos ex viginti. Lev.* XXVII 32. *Hoc tamen ſorte deciſum. Non erat res magni, quo loco ſtarent in templo Levitæ, quis ad januam ſeptentrionalem, quis ad meridionalem ſtaret. Neque res magni momenti erat, quis hoſtias incenderet, &c. Quæ tamen ſorte deciſa* 1 *Par.* XXVI. 13. 14. *Luc.* 1. 9. Gatak. Defence againſt. Mr. De Reply pag. 62, 63.

Reſpondet Ameſius §. 21. *Gravia incommoda ſecum potuiſſent inferre, niſi divina aliqua ſententia fuiſſent determinata. Et eo nomine ſortibus deſignabantur, ex inſtitutione divina.*

Ad hæc Gataker. 1. *Non liquit ex inſtitutione divina iſta omnia ſorti fuiſſe commiſſa.* pag. 69. Reſp. 1. Aſt Ameſius illa tantum aſſumſit ex tuo libro. Ipſe ea adduxiſti, ipſe loca Scripturæ adjeciſti. Cui fini, niſi ut evinceres quod Judæi illa autore Deo facerent? 2. Aut modus ille ſerviendi Deo ex inſtitutione divina fuit, aut Judæi hâc in parte peccarunt contra Deuter. IV. 2. Jeſ. XXIX. 13. Matth. XV. 9.

Deinde reſpondet: *Sorti ideo fuiſſe commiſſa, ut divinâ quâdam ſententiâ res tranſigeretur, id vero multo minus liquet.* Reſp. 1. Quicquid ſorti committitur, id ideo ſorti committitur, ut divina ſententia determinetur; uti ſupra probatum: 2. Sorti illa commiſſa ſunt, vel ut divina, vel ut humana, vel ut diabolica ſententia determinarentur? non autem humana, non diabolica, igitur divina. Quid enim præter Deum eſt, cujus ſententia vel cultus Dei, vel modus ſerviendi Deo determinetur?

Tertio reſpondet: *Eſto potuiſſe gravia ſecum incommoda trahere, niſi certâ ratione aliquâ determinarentur: poterant tamen & aliis rationibus commodè tranſigi.* Reſp. 1. Dicatur ergo Deus eâ in re fruſtra ſortem injunxiſſe, aut certe conceſſiſſe. 2. Non quæritur an aliâ ratione res tranſigi potuerit; ſed an ita ut non ſequerentur illa incommoda.

da. Hoc qui aſſerit, demonſtrare debuerat.

Ut ex agniculis decem iſte potius quam ille ſacerdoti cederet, quod ſorte ſolum agebatur, præſertim ubi inæqualitas notabilis nulla, nullius fere momenti res erat. &c. pag. 70. 71. Reſp. 1. Diſcerpuntur hic quæ conjuncta oportuit. Cum *hic* agnus ſorte ſacerdoti datur, tum *agnus* ſacerdoti ſorte cedit. At res eſt alicujus momenti quo modo ſacerdoti *agnus* eligatur. 2. Si vel materia vel res tanti momenti non fuiſſet, incommoda tamen magna conſequi poterant. Si dominus agnum eligeret, fraus ſubeſſe poterat; ſi Sacerdos, injuria. Imo hâc ratione aliquando totus cultus deſpectui haberi cœpit. Mal. cap 1. *claudum & ægrotum offerebant.*

2. Obj. *Si conſideremus naturam ſortis, & incertitudinem ejus, inveniemus eam aptam ad tales materias quæ ſunt minimi momenti.* Gataker de natura ſortis cap. VI. pag. 164. Defence pag. 67.

Huic reſpondet Ameſius §. 21. *Ex natura ſortium non apparet quod rebus leviſſimis maxime conveniat. Quamvis enim ſingularem Dei definitionem non liceat exſpectare, niſi ante fecerimus quod in nobis eſt, ad quæſtionem propoſitam ordinariis mediis definiendam; gravitas tamen illo conatu noſtro vel non removetur, vel,* ſi removeatur, tum controverſia, *ſorti non eſt com-*

mittenda. Addi poteſt quod argumentum hinc fieri non poteſt niſi ex puris affirmantibus in ſecunda figura: Sors convenit rebus minoris momenti. Ludus eſt res minoris momenti. Ergo, Quaſi extra ludum non ſint res minoris momenti.

Inſtat Gataker; *ſi ex natura ſortium non apparet quod rebus leviſſimis maximè conveniat; cur à rebus graviſſimis, occultis nimirum in lucem protrahendis, juriſque quæſtionibus definiendis, vos ipſi eam excluditis.* pag. 72. Reſp. Ab illis materiis ſortem removemus 1. Quia Deus ad tales cauſas definiendas ſortem non dedit. Juramentum ad dirimendam controverſiam in re occulta, quæ nullâ indagine penetrari poſſet; inſtituit; Verbum quæſtionibus juris adaptavit. 2. Quia divinare per ſortem non licet, & hinc nec per eam res occultas venari. 3. Quia materia ſortis res eſt indifferens, & hinc non quæſtio juris.

2. *Nihil hic dicitur*, inquit, *quod evincat ſortem maxime rebus leviſſimis non convenire.* Reſp. Nihil opus erat hic quidquam demonſtrari; ad objectionem tantummodo reſpondendum erat. *At ſors*, inquit, *conſiſtit in re incertiſſima, leviſſima.* Reſp. Ut ſpeciem habeat argumentum debebit eſſe; Sors conſiſtit in re leviſſima: ludus conſiſtit in re leviſſima; Ergo ſors

ſors ludo convenit. Sed 1. arg. eſt in ſecunda figura ex puris affirmantibus. 2. Quatuor conſtat terminis; *Levitas* in majori de phyſica exiſtentia ſumitur, in minore de dignitate, & pondere rei. 3. Ex levitate & inſtabilitate ſortis aliud concludi non poteſt, niſi quod eo in caſu adhiberi non debeat, ubi abſque peccato in alterutram partem inclinare non poteſt. Atque ideo materiam ſortis diximus *rem adiaphoram eſſe.*

3. Ubi ad ſingularem Dei definitionem contingentia mera adhibetur, *tum*, inquit, *non contingentiæ meræ natura attenditur, ſed voluntas divina eam rem adhibendi.* Reſp. Sic & in ſorte; non adſpicitur ad naturam contingentiæ, quaſi ea dubium determinaret, ſed ad voluntatem divinam. 1. qua ſortem inſtituit. 2. qua ſortem ita direxit. 3. qua hominem ſorti ſe ſubjicere voluit, & acquieſcere.

4. *Si mediis omnibus ordinariis prius utendum, quam ad ſortem deſcendatur; certè licitæ ſortis nullus futurus eſt uſus.* Reſp. Ubi in re adiaphora controverſia aut plane per ordinaria media determinari non poteſt, aut non ita, ut non altera ſibi injuriam fieri exiſtimet, ibi ſortis erit uſus.

5. Nam 5. cum 1. coincidit. *Si res nulla ſorti committi debeat, ubi gravitas eventus eſt conatu noſtro jam ſublata, nec in mercium*

diſpertitione eâ uti licuerit, niſi ubi inſignis inæqualitas remanſerit. &c. pag. 73. Reſp. Ameſius per *gravitatem* non pondus materiæ per ſe intelligit, ſed periculum ex conſequentibus effectis. Et ſenſus eſt; ubi omne periculum murmuris, ſuſpicionis, injuriæ, iræ, rixæ, denique calumniæ ſublatum eſt, tum nec opus, nec fas eſt controverſiam ſorti committere.

3. Obj. *Si ſacer eſſet ſortis uſus, tum inveniretur ſpecialis ejus inſtitutio: Atqui ea non invenitur; Ergo.*

Reſpondet Ameſius §. 23. *Natura ipſa ſortis ſancta eſt, ut juramenti. Non opus eſt igitur ut ſpecialem ſanctificationem accipiat ab inſtitutione aliqua ſingulari &c.* Verba, quæ opponat, hic Gatakero non deſunt, verbis tamen deeſt rationum vis.

1 Ait Ameſium hic *diſcedere à ſe & ſuis, ipſe in concione ſortes non tantum ex inſtitutione, verum etiam ex rei ipſius natura, ſacras eſſe dixit.* Reſp. Subordinata non pugnant. Aſſerit Ameſius naturam ſortis ſanctam eſſe; non negat eam ex inſtitutione divina ad uſum ſacrum ſegregatam. Et vero, ut ut non reperiatur ſortis *ſingularis* talis *inſtitutio*, qualis circumciſionis, Paſchatis, Baptiſmatis & Cœnæ; repetiatur tamen aliqua, & talis quæ uſum & naturam ejus abunde docet. Lev. XVI. 8.

XXVII.

xxvii. 32. Num. xxvi. 55. Nehem. x. 34. & xi. 1. Prov. xvi. 33. & xviii. 18.

Deinde inquit, *quod ſors non ſit ſancta ut juramentum, ex definitione juramenti, & ſortis ... inter ſe commiſſis, facile patebit*, pag. 75. Reſp. convenientia utriuſque clarè ſplendet (1) In juramento controverſia determinanda eſt. Exod. xxii. 10. 11. Similiter in ſorte. Nehem. xi. 1. (2) in juramento petitio eſt divini teſtimonii 11 Cor. 1. 23. Similiter in ſorte Act. 1. 24. (3) In juramento controverſia quaſi per interventum Dei, ejuſque præſentiæ, potentiæ, & benedictionem, conſopitur. Rom. ix. 1. Similiter in ſorte Prov. xvi. 33. Denique 4. contendentes ſe juramento ſubjiciunt, convenitque inter eos quod id contendendi finem faciet Heb. vi. 16. Similem contractum ineunt ſortientes; eſtque effectum idem Prov. xviii. 18. Differentia, quæ alicujus momenti foret, tantum in eo eſt, quod *juramenti* uſus eſt in rebus bonis, & malis; præteritis, præſentibus, & futuris; juris & facti: *ſortis* vero tantummodo in re adiaphora.

Si ſors ſancta eſt ut juramentum -- cur in facti juriſque controverſiis definiendis juramentum admittitis, ſortem repudiatis? Reſp. Id jam ſupra diximus. Quia ſors diviſoria in re adiaphora nobis tantum conceſſa eſt.

Poſtremâ reſponſione non niſi ſenten-

tiam Ameſii inverecunde depravat. Ameſius non concluſit: *panis & vinum, item verba juramenti, ex ſe ſancta non ſunt, ſancta tamen fiunt, cum ex inſtitutione divina ad uſum ſacrum applicantur. Ergo contingentia mera licet ex ſe ſancta non ſit, ſancta tamen fit, cum citra inſtitutionem divinam adhibetur ad res civiles & ludicras*; uti iſte inepte fingit. Sed objectionem præſcindit: objectio formari hæc poterat; mera contingentia eſt materia ſortis. Atqui mera contingentia ſua natura ſancta non eſt. Itaque nec ſors natura ſancta eſt. Reſpondet Ameſius; quod nec verba juramenti, nec panis & vinum per ſe etiam ſancta ſint, ſancta tamen fiunt dum ad uſum applicantur. Simili modo, mere contingentia per ſe quidem ſancta non eſt, ſancta tamen ſit cum ad uſum religioſum applicatur. Nihil hic de inſtitutione divina: quoniam ſupponit quod omnia illa fiant juxta inſtitutionem, vel certe conceſſionem divinam.

4. Obj. *Homo Chriſtianus libertatem habet utendi bonis Dei creaturis in talem finem, ad qualem natura aptæ ſunt; modo id fiat ſine impietate & injuſtitia. Sed in ſorte luſoria creaturæ ita uſurpantur. Ergo*, &c. Defence pag. 95. 97.

Reſpondet Ameſius ad minorem; *mera contin-*

contingentia nullam habet aptitudinem ex ſe ad quæſtionem determinandam, neque ullam accipit ex conſenſu eorum qui ea utuntur ad illum finem. Itaque creatura non uſurpatur in talem finem, ad qualem natura apta eſt.

Hic exultat noſter: *Quo teneam vultus mutantem Protea nodo? Habet aliquando mera contingentia ex natura ſua aptitudinem ad providentiam divinam ſingulari modo conſulendam: mox eadem nullam habet aptitudinem ex ſe ad quæſtionem determinandam* &c. pag. 78. Reſp. Mera contingentia aptitudinem non habet quæſtionem aliquam, *per ſe ſolam*, & veluti *cauſa principalis*, determinandi: attamen mera contingentia apta eſt *medium* fieri ad providentiam divinam conſulendam. Ita ut *Deus*, per determinationem iſtius contingentiæ, *principalis deciſor* controverſiæ exiſtat. Hæ ſunt propoſitiones Ameſii: nonne ſtupidiſſimus eſt, qui eas ſibi contrarias exiſtimat?

Probaverat etiam Ameſius, meram contingentiam ne quidem ex conſenſu contendentium aptitudinem accipere ad quæſtionem determinandam. *Quoniam in extraordinariis ſortibus idem conſenſus eſt, & tamen ſorti nihil addit.* Hoc Gatakero tantundem eſt ac ſi dixiſſet: *mera contingentia à ſortientium conſenſu vires iſtiuſmodi accipere non*

non poteſt in divinatoriis ſortibus: ergo in nullis. Non in iis quæ hominum poteſtati non ſubjacent. Ergo nec in iis quæ in ipſorum ſunt poteſtate. pag. 79. Reſp. 1. Atqui omnes illæ ſortes quæ à ſolius Dei manu directæ eſſe agnoſcuntur, divinatoriæ non fuere. Lev. XVI. 8. Numer. XXVI. 55. 56. & XXXIII. 54. Joſ. XIV. 1. Chron. XXIV. Nehem. X. & XI. Neque. 2. Res, illis ſortibus determinatæ, ſupra hominum poteſtatem ſteterunt; ſi per tales res, eæ intelligantur, quæ homines naturalibus viribus peragere poſſunt. Poterat Sacerdos arripere & mactare hunc hircum, non illum; poterat tribus Judæ illo, non iſto, loco conſidere; poterat hic Levita ad ſeptentrionalem januam conſiſtere. Erant itaque talia, quæ ſortibus illis commiſſa ſunt, ſub poteſtate hominum. 3. Malâ fide proponitur argumentum, eſt hoc, ſi velis, tale: *Si contendentium conſenſus meræ contingentiæ poteſtatem daret controverſiam determinandi, tum ubicunque eſſet ille conſenſus mera contingentia ab eo illam poteſtatem acciperet: aſt falſum eſt conſequens.* Uti patet ex dictis ſortibus, quæ, fatentibus adverſariis, à ſolo Deo dependebant, & determinabantur. *Ergo falſum eſt antecedens.*

Imo, inquit, *etiam in extraordinariis iſtis poteſt ſors ex hominum voluntate aptitudinem accipere ſententiam aliquam proferendi;*

di;veram an falſam,nihil intereſt.p.80 Reſp.
1. Extraordinaria illa, juxta te, divinatoria erant: poſſunt ergo homines per ſortem,ſi velint, futura conjicere. Quod ipſe oppugnas de nat.Sortis cap. XI. 2. Homines quod non habent,id alteri dare non poſſunt: atqui ipſi poteſtatem non habent controverſias illas, aut meram contingentiam, ſic, aut oppoſito modo determinandi. 3. Vel uterque ſorti poteſtatem dat determinandi pro ſe, vel contra ſe, vel quodlibet? *Si* quiſque *pro ſe*; tum ſors ſemper ſibi ipſi adverſari deberet; Quoniam ſimul pro Petro,& contra Petrum, pro Paulo & contra Paulum exire deberet. *Si contra ſe*, & pro adverſario; tum inſuper fruſtra ſortem mitteret: quoniam adverſarius conditionem facile acciperet. *Si quodlibet*, tum impoſſibile ſorti dat. Nam ſors non poteſt ita exire, ut vult, ſed tenetur exire ut Deus vult, & eam dirigit. Prov. XVI. 33.

Obj. 5. *Res adiaphora eſt legitima materia recreationis. Sed ſors eſt res adiaphora. Ergo.* Defence pag. 104.

Reſpondet Ameſius §. 25. *Adiaphoram eſſe ſortem nemo poteſt oſtendere, niſi prius demonſtráverit nullam in ea eſſe ſingularem ad providentiam divinam appellationem.*

Hoc vero demonſtratu difficile non eſt, inquit Gataker, *cum mera contingentia, ſortis materia,nec ex ipſius rei natura &c.talem*
uſum

ſubterfugium deerit; res non ſatis probata eſt.

7. Obj. *Sors ſæpius iterata varium eventum habet. Sortes itaque non ſunt divina oracula.* De nat. Sortis c. VII. pag. 184.

Reſpondet Ameſius *vanum id eſſe: Neque enim hoc eſt veriſimile ſi ſors rite poſſit iterari. Neque omnis appellatio ad divinam providentiam neceſſario ſecum infert ſingularem ejus operationem.* §. 27.

An ſors ſæpius iterata, inquit, *eundem ſit conſtanter habitura eventum, D. Ameſius, ubi libuerit experimento exploret.* pag. 82. Reſp. 1. Experimento id compererat C. *Valerius Procilus, qui ſe præſente, de ſe ter ſortibus conſultum dicebat, utrum ſtatim necaretur, an in aliud tempus reſervaretur. Sortium beneficio ſe eſſe incolumem.* J. Cæſar de bel. Gal. l. 1. in fine. pag 33. Ut jam non dicam quod Iſraelitis ſua quæque ſors conſtanter juxta verbum Dei exierit. Joſ. XIV. Ita *Abradatæ ſors id conceſſit, quod ipſe in ſe antea receperat.* Xenoph. de Cyro lib. VI. pag. m. 490. Nec majori cum difficultate poſſet ſors ſæpe iterata eundem exitum habere. 2. Homines primæ ſortitioni tenentur acquieſcere; tum vi contractus quem inter ſe inierunt; tum vi legis divinæ, quæ ſorte controverſias finiri vult Prov. XVIII. 18; tum vi deciſionis divinæ, nam Deus

Deus ſortem ita direxiſſe præſumi debet. 3. Quodſi vero ſors, vel injuria, vel, aliquo in caſu, jure iteretur, nihil opus eſt, ut ſemper eundem eventum habeat. Non enim per eam futurum aliquid prædicitur, ſed homini indicatur, quid in re adiaphora ipſius officii ſit. Quod facile adeo mutatur, ut Deus nunc Saulem Regem creari vellet, nunc de ſolio deturbaret. Neque hinc ſequitur ſortem *divinam* non eſſe: non magis, quam hodie benedictionem aliquam divinam non eſſe, quæ cras per adverſum caſum loco pellitur. Multo minus etiam hinc ſequitur *oracula divina ſibi invicem adverſa* eſſe. Non magis quam cum modo Saulem regem faceret, modo eidem regnum eriperet. Oracula divina quibus Deus aliquid futurum prædicit, mutari nunquam poſſunt: ea vero quibus homini officium injungit, mutari toties poſſunt, quoties ei aliud injungere libet. Exemplum in Abrahamo reperitur Gen. XXII. Neque ideo ſibi adverſatur voluntas divina; quoniam eo in caſu *voluntas Dei realis ad ipſam rei exiſtentiam non tranſit.* Uti pluribus demonſtramus diſſert. de prædeſt. cap. IV. pag. 64 & ſeq

7. Obj. *Deus poſſet à nobis pro arbitrio noſtro ad extraordinariam providentiam exercendam adduci* Sed ei objectioni jam cap. III. ſatisfecimus. Quæ nihil opus eſt hic repetere.

Con-

Concluſio Ameſii eſt §. 29. *Ludus igitur aleæ, ex natura ſua cum religione pugnat.* Hoc *ſuperſtitioſum* eſſe dicit Gataker, *dum religio in mera contingentia conſtituitur.* Pag. 85. Reſp. Religio non in mera contingentia collocatur: ſed in meræ contingentiæ determinatione mere divina, & ejuſdem determinationis petitione reali.

8. Obj. Eſto in ſorte immediata & ſpecialis Dei providentia: Chriſtianus in quavis re ſpiritualis eſſe poteſt, etiam in ludo: ac proinde etiam in ludo ſpecialem Dei providentiam petere, & precari poteſt.

Reſp. 1. Licitum eſt homini Chriſtiano ante ludum Deum adorare, ut vires ad honeſtam recreationem ſumendam det, ut animum in ludo à laſcivia cuſtodiat, ut honeſta illa recreatio corpus & animam reficiat 1 Theſſ. v. 18, 1 Tim. iv. 3, Eccleſ. xi. 9. 1 Cor. x. 30: Sed id in *ludo illo* non licet, ubi nulla eſt exercitatio, nulla ars, nulla corporis aut animi refectio? quoniam hoc eſſet ludere Deum, & petere, quod ſcimus ipſum nec velle, nec poſſe dare: Ut ſcilicet in ludo iſto animam ab omni profanitate cuſtodiat, ut honeſtam hanc recreationem & animæ & corpori ſalutarem faciat, ne occaſio ſcandali præbeatur proximo, denique ut omnia ita à nobis abſolvantur, ut Chriſtianos decet. Hæc in ludo aleæ nec peti à Deo, nec exſpectari poſſunt.

3. Chriſtianus in ipſo ludo preces formare & effundere non poteſt: non magis quam in precibus ludere. Quoniam in precibus ſumma modeſtia, gravitas, & reverentia poſtulatur, & quod ad animam, & quod ad corpus. Eccleſ. v. 1. Lam. III. 41. Luc. XVIII. 13. Joh. IV. 24. Quæ feriæ & religioſæ actiones in ludo locum non habent.

Sed tamen amoto quæramus ſeria ludo.

Horat. Serm. lib. 1. Sat. 1. pag. 140. Officia ſeria, & religioſa, poſtulant ut omnia circumquaque ſeria & religioſa ſint. *Omnia decenter & ordine fiant.* 1. Cor. XIV. 40. Hinc reprehenduntur qui in vanitatibus & laſciviis Pſalmos excogitabant, Amos VI. 4. 5. Ita & in ſorte omnia ſerio & graviter peragi debent. Quoniam *ſors in gremium conjicitur, ſed omne judicium ejus à Deo eſt.*

ADDENDUM.

Ad pag. 24. ubi de talorum forma agitur, additum oportuit; talos non eſſe inſtrumentum illud luſorium, quod pueri noſtri vocant **een koote/** ſed quo puellæ utuntur, quodque vocant **een pikkel/** ſive **bikkel.** Hujus tali illa pars, quæ vix quidquam habet concavi dicebatur *unio*, *canis*, *chius*; oppo-

oppoſita, quæ modice excavata, *ſenio & cous;* ſupinum latus, quod fere cavum plane eſt, *ternio & ſupplum*; pronum, quod ad modum dorſi gibboſum, *quaternio* & *planum*. De quibus pluribus agit *Eraſmus in Colloquio de Talorum luſu*.

Ad Lectorem.

Benigne lector, monitum te volo Gatakeri libellum in Angliâ anno 1638. editum titulo ſuo duos aleæ adverſarios, Guil. Ameſium & Gisb. Voetium, præſcripſiſſe; duaſque in partes, quas antitheſes vocat, tributam fuiſſe; quarum prior aggreditur Ameſii cap. 11. lib. 1. medullæ, poſterior partem Diſp. Voetii de ſortis aliiſque divini nominis abuſibus, de verbo ad verbum (excepto uno lacunarum aliquot hiatu) inſertam. Hanc titulo, an ſubtitulo, iſto peculiari (*Antitheſios pars altera D. Gisberti Voetii theſibus repoſita*) inſignitam, viſum fuit D. Voetio de verbo ad verbum libello ſuo inſerere tum ob alias rationes, tum imprimis, quod Gatakerus ipſi præiviſſet. Priorem partem hoc titulo (*Antitheſios pars prima D. Gul. Ameſii de ſorte theſibus repoſita*) viſum mihi non fuit recudendam dare, ne moles libelli mei excreſceret. Si cui tanti

hoc eſt, ut ipſam integram Gatakeri diſſertationem legere malit, is facillimè exemplar editionis Leidenſis nanciſci poterit.

Errata aliquot Typographica:

Pag. 3. lin. 12. conſulerit, pro conſul erit. p. 20. l. 14. l. alium ſubſortiebantur. p. 26. 5. l. fuere l. 11. jecerat. p. 33. 7. *deme.* p. 37. 6. inferiorum. p. 39. 21. dubia in ſe.

F I N I S.

VA1 1517295